Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Heinrich Majus

Io. Henrici Maii Fil. Graecae Orientalivmq. Lingvarvm In Acad. Giessena Professoris Pvbl. Observationes Sacrae Qvibvs Diversa Vtrivsqve Testamenti Loca Ex Lingvarvm Indole Et Antiqvitatibvs Potissimvm Illvstrantvr

Liber Qvartvs : Subiicitvr Specimen Svpplementorvm Thesavri Graecae Lingvae

Francofurti ad Moenum: Apvd Io. Maximil. A Sande, 1715

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046382330

Band (Druck) Freier Zugang



Fc_ 4405.1-3.
(I 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046382330/phys_0002
DFG

Contenta.

1. Russ. Accentual. Hebr. usus.
2. Josua Arndig de frequenti Comunione
3. Joh. Henrici Magi Observat. sacrae.
4. ej. liber secundus,
5. ej. liber tertius
6. ej. liber quartus.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046382330/phys_0003
DFG

IO. HENRICI MAII F.
GRAECAE ORIENTALIVMQ. LINGVA
RVM IN ACAD. GIESS. PROF. PVBL.

OBSERVATIO NVM SACRA RVM

AD

DIVERSA VTRIVSQVE

TESTAMENTI LOCA

LIBER QVARTVS.

SVBIICITVR SPECIMEN
SVPPLEMENTORVM THESAVRI
GRAECAE LINGVAE

AB

HENRICO STEPHANO

CONSTRVCTI.



FRANCOFVRTI AD MOENVM
APVD IO. MAXIMIL. A SANDE
ANNO MDCC XV.



AMICORVM PRINCIPI

ZACHARIAE CONRADO AB VFFENBACH

IVRISCONSVLTO EXCELLENTISSIMO

S. P. D.

I. H. MAIVS F.



Contra saeculi morem institutumque facio, nouum tibi obseruationum mearum libellum, ordine quartum, offerens, quum vix

ante annum nomini tuo tertiam inscripserim partem, Vffenbachi amicissime. Prisci tamen homines, Latini Graecique, aut compluria diuersis temporibus edita opuscula, aut plures eiusdem operis libros, patronorum alicui vel amicorum dedicantes, factum meum defendunt. Quinque de Finibus, totidem Tusculanarum quaestionum, tres de natura Deorum libros, Oratorem denique ac Paradoxa, Bruto suo consecrauit *Tullius*. Octo Strategematum volumina imperatorbus M. Antonino philosopho, & L. Vero, *Polyaenus*; decem Onomastici βιβλία Commodo Caesari, M. Antonini filio, sacra esse voluit *Iulius Pollux*, praefixa singulis libris adlocutione, quod & *Polyaenus* obseruauit. Consuetudini antiquissimae variae accedunt caussae, vt nouum

apud

apud te, amice iucundissime, ingenii perexigui foetum deponerem, forma atque ornamentis omnibus spoliatum, compellentes. Tu enim fauoris aduersum me tui & plurima & praestantissima exhibere argumenta nunquam desinis; nec ego proinde meae in te obseruantiae identidem monumenta, quantumuis exilia, ponere desistam. Fraterno me complecti amore tibi collibuit; quidni ergo hunc librum, priorum fratrem, tibi nuncuparem? Tua sunt, quae heic leges, bene multa, & tuo tibi litantem me videbis ture. Codices innuo Ebraeos Graecosque, manu exaratos, quorum quia mihi copiam pro tua incredibili humanitate feciſti, faciſque indies, necesse est tibi declarem, quantum per illos profecerim. Itaque quidquid in his paginis inuenturus es praecla-

rum, hoc tuum esse scias, quidquid insultum, id meum putabis. Quin & te primum monente specimen supplementorum thesauri Graeci Stephanici in lucem hanc prodit. Quum enim aliqua epistolarum tuarum, amice optime maxime, quas & creberrimas ad me mittere soles, & pluribus verbis scriptas, & beneuolentia, leporibus, eruditione, refertissimas, de Lexicorum lacunis questus fuisses, hoc actutum coepi consilii, eosdem in thesauro *Henrici Stephani* ostendendi defectus, quos *Olaus Borrichius* in *Foro*, de quo tunc potissimum agebamus, *Romano*, pridem adnotauerat. Scio saepiusque expertus sum, te parua mea benigne interpretando magna facere, nostramque non adspernari, quamuis sit rustica, Musicam, sed meas esse aliquid putare nugas.

Quam-

Quamobrem nec praesens opus reiicies, natum apud me proxima foetura, seueris licet atque venerandis verborum coloribus carens, nec illo venustatis nectare irrigatum, totum agreste, illepidum, prorsusque, vt prouerbio dicimus, somnium hibernum. Nunc te, facundiae florentis virum, summo ingenio, summa doctrina, omnique prudentiae genere elegantissime ornatum, caussae meae iudicem facio, quem & familiarius colo, & nil nisi meram dicturum veritatem confido. *Amantes de forma iudicare non possunt; quia sensum oculorum premit amor*, vox est Quintiliani. Tu vero, si me amas, tanto acrius iudicabis, quanto impensius me diligis. Immo vt in hoc solo amoris erga me magnitudinem abiicias, in ceteris constantissime serues, summo abs te studio

contendo. Vale, o altera pars mei, litterarumque Palladium diutissime esto: Giessa, postridie Kalendas Aprileis CIↃ IↃ CCXV.



LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. HENR. MAIVS F.

NOuam accipe obseruationum sacrarum partem, eamque fortassis vltimam. Miraberis, opinor, quod ad finem properemus, qui hanc vix ordiri telam coeperimus, indeque aut nos inuasisse taedium laboris, sacratioribus litteris impensi,

pensi, aut quae obseruata a nobis sunt, iam exposuisse omnia, facile suspicari poteris. Patere vero, amice lector, vt secus se rem habere verbosiore tibi epistola declarem. Non fuit animus, vasta adnotationum volumina in singulos sacri codicis libros conscribere, sed specimina duntaxat quaedam exhibere, speroque satis me feciſſe promiſſis. Num vero tuam pariter spem expleuerim, iure dubito. Equidem nonnullorum expositiones legibus Platonicis & Chrysippi syllogismis frigidiores esse ostendimus; aliorum, & Iudaeorum cum primis, tam fatua esse interpretamenta, vt flagris castigari digna sint; quosdam caecutire, non paucos ineptire, ac bullatas vendere nugas, planeque gith frigefactare, vt *Plautus* ait. In quas syrtes an ipsi non inciderimus, iudicent alii. Saepe lucernam emunxi, (plenam ingenui pudoris vocem audi) nec tamen adfundere quiui oleum; saepius turbidae & ambiguae, nec purae ac liquentis, fidei illustrationes subministrare ingenii coegit paupertas; saepissime iuimus, quo rerum magnitudo eundum esse monstrauit, at non eo peruenimus. Dedimus iudicii censu-

censuram, non illam quidem ad Phidiae statuas vbique comparandam, sed tamen desiderantibus in hoc stadio proficere, haud dubie profuturam. Multorum oraculorum non sanguinem, sed cutem quaerere, non fruges, sed flores consectari potuimus; aliquibus etiam census atque delectus mei supremam imponere manum haud licuit. Adeo verum est illud:

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισι θεοὶ δίδοασιν ἀμείνω.

Dona ter absersis veniunt meliora Deorum.

Est tamen forsit haec nobis minime deneganda industriae gloria, quod iter ingressi fuerimus, non tritam auctoribus viam, nec qua peregrinari animus expetat. Facilis heic lapsus est, soletque in tam arduo negotio errores committere καὶ Σοφῶ Σοφώτερος. Sed & *non assecutis, voluisse, abunde pulcrum atque magnificum censetur*, iuxta *Plinium*. Immo *omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est*, secundum *Apuleium*. Oppido pauci dantur Saturni somniantes, quod

Iupi-

Iupiter animo cogitabat; nec Eleusinia scripta, & terminos Copticos, numerosque Pythagoricos didicerunt omnes. Forte nec hoc iniucundum, quod in obscurioribus plerumque locis versati, tenebras dispellere, adhibita veritatis luce, studuerimus. Placebit, credo, & istud, quod noue a nobis inuenta, veterum tamen & idoneorum scriptorum testimoniis firma reddiderimus, memores quippe eius, quod *Hieronymus* ad Marcellam scripsit: *Quia nouitia musta contemnis, saltem veteris vini auctoritate ducaris.* Erunt, nisi fallimur, qui breuitatis, qua vsi sumus, tenuissimum filum amabunt; eoque, si non ingenium, certe illam adprobabunt, quae commendari tanto debet iustius, quanto Philologi sunt molesti validius, vt *Phaedri* verba, nonnihil immutata, huc transferam. Atqui hoc ipsum culpa non vacare dixerit quispiam, inprimis quum anguste perquam & obscure differuerim subinde, vt signa rerum ponere videar, ad subsidium magis memoriae meae, quam ad legentium disciplinam. Non deest quidem, quod reuoluamus; at malumus vitium lubentes adgnoscere,

quam

quam remouendo crimen longioris disceptationis occasionem suppeditare. Ceterum, quid posthac sperandum tibi de nobis sit, paucis innuam. Continuaturum me obseruationes sacras neque promitto, neque nego. Si enim nostrae illae tibi arriserunt, satis retulisse me praemii existimabo; sin, diutius displicere tibi desinam. *Optabo* etenim, *vt placeam, sin minus, vt taceam*, ait ille. Sat dictum de opusculo praesenti; addenda nunc quaedam de appendicula subiuncta. Tam multa in thesauro Graeco Stephaniano desiderari vix credent, qui aut manibus vastissimum Lexicon haud assiduis triuerunt, aut profundae *Henrici Stephani* eruditioni fidentes, exhaustum ab eo litteraturae Graecanicae fontem arbitrantur. Horum in gratiam *Borrichii* adpono de isto thesauro censuram, in appendice de lexicis Latinis & Graecis, Analectis ad cogitationes de lingua Latina subnexa, his verbis expressam: *Graecae linguae thesaurus* (Stephani scilicet nostri) *paene instar omnium est solidus, cultus, locuples; in quo nisi tria desiderarentur* (primo, *quod exstent non pauca in iis, qui omnium manibus versan-*

versantur, auctoribus hic omissa; secundo, *quod multa id temporis Graecorum monumenta, hodie in publico notissima, nondum euulgata essent*; tertio, *quod voces plurimae plures admittant significationes, quam quae in illo thesauro signatae sunt*) *iam peruenisset ille Lexicographorum Graecorum labor ad vsque suos vmbilicos.* Non Apollinis magis verum est responsum, atque hoc doctissimi Dani iudicium; quod licet nostra haud egeat comprobatione, ignaris tamen non modo, sed & litterarum Graecarum studio flagrantibus, specimen dandum esse iudicaui, ex quo de reliquis vocabulis omissis coniecturam facere possint. Infixum praeterea menti fuit, quod ipse *Stephanus* in epistola ad amicos, thesauri, nondum editi, descriptionem exhibente, subiectaque per *Theodorum Ianssonium ab Almeloueen* dissertationi de vitis Stephanorum, monuit; *Vereor*, inquiens pag. 165. *ne haec* (falsa & spuria themata) *sicut & illa monstrosae cuiusdam formae composita, aliquando in meum etiam thesaurum intrudantur.* Cuius ego delicti omnem a me auertere

suspi-

ſuſpicionem ſtudui, ſeduloque caui, ne inter reos vnquam referar. Argumentum huius ſtomachi mei habes, quod in ſupplemento illo & auctorum nomina praetexui, & loca diſtinctius, quam lexica facere ſolent, ſignaui, & nonniſi ea, quae in dubium nemo, vt mea fert opinio, vocare poſſit, adſcripſi. Ego nunc poſteris locum faueo, quos ſcio tam de *obſeruandi* labore, quam de *ſupplendi* laude nobiſcum certaturos, ſicut ipſi fecimus cum prioribus. Vale.



PHAE-

PHAEDRVS

IV, 6.

Noli molestus esse omnino litteris,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.

I. REG.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046382330/phys_0020
DFG

1. REG. XV. 13.

מפלצת: *Miphlaezaeth.*

DEam ex veterum ruinis ad propylaeum quarti huius obseruationum libri statuimus, quam ex ipsa adpellatione propius cognoscere libitum est. Romanorum etenim censores imitabimur, quibus in condendis lustris prima fuit de nominibus inquisitio. *Aratus* ab Ioue incipiendum putauit, magno veterum consensu, ne Stratone quidem τῷ Καρδιανῷ in epigrammate quodam, & rebus parum seueris, a Deorum principe secessionem faciente. Audiemus Graeculum ipsum, idque eo lubentius, quia nondum editum est carmen, quod nunc beneficio amicissimi VFFENBACHII mei, tecum commune facio. Poetae verba sunt:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καθὼς ἔφρασεν Ἄρατος,
Ὑμῖν δ' ὦ Μῦσαι σήμερον ἐκ ἐνοχλῶ.
Εἰ γὰρ ἐγὼ παῖδας τε φιλῶ καὶ παισὶν ὁμιλῶ,
Τοῦτο τί πρὸς Μύσας ταὶς Ἑλικωνιάδας;

A Ioue incipiamus, prout ait Aratus. Vobis tamen, o Musae, molestus nunc haud ero. Dum enim & pueros amo, & familiarius cum iis viuo, quid hoc ad Musas Heliconiadas? Libertate vtamur, ad *Quintiliani* exemplum Instit. Lib. X. cap. 1. scribentis: *Vt Aratus ab Ioue incipiendum putat; ita nos rite coepturi ab Homero videmur.* Iam enim a Miphlaezaeth ordiemur, ex Maachae Asaeque historia omnibus nota, at solo duntaxat nomine, neque illo satis intellecto. Id tamen vitio vertendum nemini, illis maxime in rebus, de quibus ipsa consulenda esset Sibylla. Quidam de Pane capiunt Ebraicum מפלצת plures tam e Iudaica quam Christiana gente, occupauit opinio, Miphlaezaeth idem esse monstrum, quod Priapus; vnde & a voce Ebraea in Dei istius sacris vsitatum *phallum* accersunt *Seldenus* de Diis Syris Syntagm. II. cap. 5. pag. 300. *Bochartus* Geogr. S. lib. I. cap. 18. p. 484. aliique. Quam ego vellem sententiam viri docti parcius laudassent, euellendam vel sola nominis forma, quae non secus *marem* notare potest, quam מֶלֶכֶת *regem*. Itaque recentiores cautius procedunt, quibus *horrendum idolum* designare creditur

creditur illud vocabulum, etsi definire non audeant, quale speciatim extiterit simulacrum. Ex *terrendi* sensu repetendum id nominis plane credo, nec hoc tantum, sed & מפלצת esse Graecorum Ἑκάτην. Nam vti illa a פלץ quod est *metum infero*, dicitur: ita haec horrendis spectris timorem facit hominibus, ὡς τὴν θέαν ἐκπλήττειν τὰς ὁρώντας, ait *Suidas*: conuenitque פלץ πλήσσω, ἐκπλήσσω, &c. Formidinem illa sono indicat; haec maxime formidabilis a Poetis pingitur atque lapicidis. Vidit eius imaginem deformatissimam Ephesi *Iacobus Sponius* itiner. Lib. II. p. 247. edit. Gall. sed p. 67. versionis Germanicae, itemque *Georgius Whelerus* itiner. p. 249. doctissimi Graeciae lustratores, fidique itinerum comites. Potentissima diuos inter creditur, inferorum regina, terrae ac maris domina, quae diuitias largitur, fata dispensat, iuuat in periculis, victoriam praebet, praeest iudiciis, felicitatem denique adfert, cui vult, omnigenam, vt prolixe docet *Hesiodus* Theogon. v. 411. seqq. Quid ergo mirum, Maacham reginam hanc potissimum coluisse Deam, quae regna stabilire credebatur? quod vel ideo fecisse poterat, ne a nepote

tam facile moueretur solio. At pius Asa tremendam parum curauit Deam, sed potius, vtpote superstitionis ab auia admissae, monumentum, exscindendam iudicauit comburendamque propter Kidronem. Huius terriculamenti cultus in oriente non modo & Hellade Latioque, verum etiam Germania hacce nostra, & quod mireris amplius, proprio Miphlaezaeth nomine, celebratissimus fuit. Pauci hoc norunt, docuitque nos *Christoph. Arnoldus*, ille Noribergensium longe doctissimus, in ea, quam ad *Georg. Casp. Kirchmaierum* dedit epistola, locum XXIII. in collectione litterarum ad hunc Vitembergensem doctorem a diuersis viris clarissimis exaratarum occupante, historiam memorari dignam sic enarrans: *In pago Emetheim, haud procul ab oppido Veissenburgensi, rudera templi & idoli, a gentilibus culti, adhuc conspiciuntur. Murus exhibet deam, quam rustici hodienum* die Miplizeth *nominant: latus deae istius tegit filius huiusdem, ceu ferunt, admodum deformis. Superius exstat ingens imago, siue statua, extensis ad sidera palmis, ceu numen coeleste inuocans, & cunctis precibus implorans: humi vero dispersae*

dispersae iacent imagines fractae atque disperditae. Cultus idolorum istorum inseruiisse dicitur sterilitati ac foecunditati coniugum; quae quidem rusticorum, inibi agentium, vulgaris fabula est. Quod de filio dicitur, totam nostram coniecturam labefactare videtur, quippe quo caruit Hecate, si fabularum fide standum. Sed cogites rogo, eandem κουροτρόφον iuuenum siue filiorum alumnam, & ab *Hesiodo* l.c. v. 450. & ab *Apollonio* Argonaut. L. III. ceteris que vocari; quin & Endymionem te videre existimabis, cuius exosculandi gratia coelo descendit Luna. Quae enim in terris Diana, apud inferos Hecate, ea in coelo est Luna. Inde *tergemina Hecate*, & *ternis variata figuris*, τριπρόσωπος atque *Diua triformis* audit. Endymionem vero caue dicas turpem; aliter pronunciabis, inspecto thesauri Gronouiani tomo primo. Quare heic nil decerno, quum incertum sit, filiusne an amasius, alumnus an cultor, vel quisquam alius adhuc Deae latus claudat. Septuaginta Intt. per מפלצת intellexisse Astarthen, patet ex 2. Paral. XV. 16. Atqui hoc ipsum firmat suspicionem nostram. Scilicet Astaroth, Astoreth, Astarte (tot e-

nim modis scriptum reperitur) Diana est, siue Luna aut Hecate. *Miphlaezaeth* autem eandem esse ac Hecaten, Lunam, Dianam, ostendimus, ergo nec ab Astaroth erit diuersa. Quod erat demonstrandum.

IOANNIS IV. 12.

Καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ.

Et pecora eius.

DE huius interpretationis veritate ne Carneadem quidem dubitare posse, dixerit forsan qui interpretum ad vnum omnium auctoritate munitum viderit locum. Ipse tamen concoquere vix possum, horum expositione ex hominibus ratione praeditis facta esse bruta animalia. Diffingenda itaq; est haec temeritas, & restituendum suae dignitati opificiorum Dei praestantissimum, ostendenda denique interpretamenti illius falsitas. Ex Iacobi puteo bibisse & Patriarcham, & υἱὸς αὐτοῦ, sacer testatur scriptor, addens his τὰ θρέμματα αὐτοῦ. Alumnos hoc nomine heic intelligo, siue domesticos Iacobi ceteros, quibus ex eodem fonte hauriendi fuerat potestas. Ita τῆς ᾠδῆς θρέμμα, *Musae*,

Musae f. Philosophiae *alumnus* vocatur Plato a *Maximo Tyrio* Dissert. XVI. vti homines οἰκεῖα θεῶν γεννήματα καὶ θρέμματα καὶ παιδεύματα, *propria Deorum progenies, alumni atque discipuli*, ab *Iamblicho* de Mysteriis Sect. IV. cap. I. pag. 105. Iupiter negligentius se ab hominibus coli conqueritur apud *Lucianum* in Icaromenippo T. II. p. 210. exclamans: τοιαῦτα μέν ἐστιν ἡμῖν, ὦ θεοί, ταῦτα τὰ θρέμματα. *Huiusmodi habemus, o Dii, alumnos.* Quod magis ad rem facit, inuenias in monumentis veterum θρέμματα in familia non animalium, sed hominum. Inscriptio Smyrnensis quam de industria illustrauit *Tobias Gutberlethus* pag. 113. seqq. opusculorum:

ΦΛΑΟΥΙΑ ΤΡΥΦΑΙΝΑ Η ΚΑΙ ΡΟΔΟΠΗ
ΖΩΣΑ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΕΑΥ-
ΤΗ ΚΑΙ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ ΗΡΑΚΛΕΙ-
ΔΟΥ
ΤΟΥ ΦΙΛΟΞΕΝΟΥ ΚΑΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ ΚΑΙ
ΘΡΕΜ
ΜΑΣΙΝ ΑΤΤΗΣ ΚΑΙ ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΣ ΑΤΤΗΣ
&c.

Flauia Tryphaena, quae & Rhodope appellatur, *viua exstruxit hoc monumentum sibi & viro Asclepiadi, Heraclidis* filio,

 Philoxeni

Philoxeni nepoti, *libertis item ac alumnis cum suis tum viri sui.* Geminum huic est Marmor Oxoniense num. LXXIX.

ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΟ ΘΩΡΑΚΕΙΟΝ ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΝ ΑΥΤΩ ΣΟΡΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΚΑΙ ΠΡΟΣΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ ΤΗΝ ΚΑΤ ΑΥΤΟΥ ΚΑΜΑΡΑΝ ΝΕΙΛΩ ΟΙΚΟΝΟΜΩ ΑΣΙΑΣ ΤΩ ΕΑΥΤΩ ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙΝ &c.

Emens hoc thoraceum & tria in eo sepulcra, exstruens quoque in illo camaram Nilo oeconomo Asiae, patri suo, & sibi, & uxori, & filiis, & nepotibus, & alumnis. Alius lapis apud *Sponium*, qui plura loca calcauit, quam vllus mulio perpetuarius, in miscellaneis eruditae antiquitatis Sect. X. pag. 351. *Nais Hermi Dioclis filia comparans sibi locum longum posuit monumentum condito subtus filio Zosimo* sibi & Cornelio Eutychiano viro, καὶ τοῖς θρέμμασι, καὶ Περίκλῃ τῇ τεαφείσῃ ὑπ' αὐτῆς, *liberisque & Proclae ipsius alumnae, &c.* Idem obseruare licet in Romanorum inscriptionibus, qualis haec

D. M. S.

D. M. S.
T. FL. AVG. LIB. HERMES ET AE
LIA IANVARIA FECERVNT
SIBI ET SVIS ET AELIAE FELI
CITATI ALVMNAE &c.

apud eundem opere cit. Sect. I. articulo 4. pag. 12. Sed quorsum isthaec inquies? Non temere, vt opinor, id a me animaduersum fuit & elucidatum. Atque vtinam hinc prudentiores fierent nostri homines. Ignobilis profecto foret putei commendatio, si ex eo Patriarcha vna cum animalibus dicatur bibisse; at quod tota cum familia liberis alumnisque inde hauserit aquas, insignius quid est, declarans, ad eum solum pertinuisse fontem, quod beneficium non omnibus contingebat in locis istis habitantibus. Nil itaque vult aliud mulier Samaritana, quam hunc fontem fuisse *Familiae* Iacobi, prout monumenta, quae supra adduximus, sepulcralia certis dicata fuere cognationibus. Si qui tamen bestias intelligere velint, hi per nos

Praecipui sunto, sitque illis aurea barba.

LEVIT. XVIII. 18.

ואשה אל אחתה לא תקח לצרר לגלות
ערותה עליה בחייה׃

Mulierem quoque ad sororem ne assumito ad angustia adficiendum, dum retegis turpitudinem illius super hac in vita ipsius.

ITane post Roscium, inquies, in scenam? Graui atque firmo iudicio viros tanta solertia hunc tractasse locum fateor, vt vix supereſſe quid videri possit: nos tamen homunculi deprehendimus pauca, cum bona illorum venia in medium proferenda. Tantum vero abest, vt alieni nominis ruina scalas ad famam parare velimus, vt vestigia potius illorum nos sequi deprehensurus quilibet sit, quantum per veritatem, cui vnice deuotus sum, licet. Qui πολυγαμίαν prohibere textum arbitrantur, mea opinione a vero non aberrant, idque & phrasin אשה אל אחתה & verbum insuper צרר denotare existimo. Prius vti bene obseruarunt non pauci, ita negabit nemo, qui quidem

dem ad haſce regulas ſapiat: poſterius non attenderunt commentatores, etſi obuius ſit radicis צרר ſignificatus *ligandi*, *copulandi*, *iungendi*, *conſtringendi*, quem heic locum habere iudico. Tum & particulam על minus commode *ſuper* verti opinor, quae *praeter* hoc loco reddenda eſſet. Quibus animaduerſis, integrum nunc accipe oraculum ex interpretatione noſtra: *Mulierem pariter ad ſororem*, ſiue vnam vxorem ad alteram, *non ducito, iungendo* vel copulando tibi, matrimoniique nexibus conſtringendo vtramque, *vt retegas nuditatem iſtius praeter eam* coniugem tuam priorem, *in vita huius*, h. e. quamdiu vxor tua inter viuos fuerit. Plura dicere, quibus hoc noſtrum tuear, ſuperſedeo: nunc enim per ſeſe euidentia puto, & quod ab auctore dicitur diuino, & quod a nobis.

ACTOR. XXVII. 24.

Μαίνῃ Παῦλε. τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει.

Inſanis Paule: multae illae litterae ad inſaniam te propellunt.

QVi excellenti pollebant eruditione, & vltra captum vulgi cum inſigni quadam

dam δυναμει verba faciebant, ad commouendum idonea, veteri ſtilo dicebantur μαίνεσθαι. Id non ſciuerunt viri docti, quibus hic locus curae fuit. Et facilius reperias qui verbum μαίνομαι oſtentent, quam qui intelligant. Ita plerique noſtrum, quae vſitatiora verba inuenimus, dicere ea properamus, non diſcere. Vti ſemper doctus eſt actuum Apoſtolicorum ſcriptor, ita hic quoque tempeſtiue ac probe loquitur. Perinſigne teſtimonium exſtat in *Porphyrio* de vita Plotini cap. XV. Ἐμοῦ δὲ ἐν Πλατωνείοις ποίημα ἀναγνόντος τὸν ἱερὸν γάμον, καί τινος, διὰ τὸ μυϛικῶς πολλὰ μετ' ἐνθουσιασμοῦ ἐπικεκρυμμένως εἰρῆσθαι, εἰπόντος μαίνεσθαι τὸν Πορφύριον, ἐκείνου εἰς ἐπήκοον ἔφη πάντων. ἔδειξας ὁμοῦ καὶ τὸν ποιητὴν, καὶ τὸν φιλόσοφον, καὶ τὸν ἱεροφάντην. *Legente quondam me in Platonis natalibus poema de ſacro connubio, ac quodam, eo quod multa diuino cum afflatu ſecretoque myſterio dicta fuiſſent, Porphyrium inſanire pronunciante, ſtatim ille* (Plotinus) *audientibus vniuerſis: Immo demonſtraſti, ait, ſimul poetam, philoſophum, ſacerdotem.* Narrat de ſe *Lucianus* in Nigrino pag. 23. quod Philoſophi huius Platonici ſermone perquam egregio in furorem quaſi actus, & ebrius redditus fuerit. Αὐτὸς, inquit, ἐν-

θεος

θυς καὶ μεθύων ὑπὸ τῶν λόγων περιέρχομαι. καὶ μὴν ἴστό γε ὁ μεθύειν, ἀλλὰ νήφειν τε καὶ ΣΩΦΡΟΝΕΙΝ ἐστιν. *Ipse ego furore captus, & ratione ebrius obambulo; etsi hoc non ebrii sit, verum sobriae mentis.* Nonne vero ita mox Paulus ad Festum: οὐ μαίνομαι, ἀλλ' ἀληθείας καὶ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ ῥήματα ἀποφθέγγομαι. Pergit *Lucianus* de eadem oratione differendo: Μάρτυρα γάρ σε παρασήσασθαι πρὸς τὰς πολλὰς ἐθέλω, ὅτι οὐκ ἀλόγως ΜΑΙΝΟΜΑΙ. *Etenim testem te apud plerosque sistere volo, quod non sine ratione insanio.* Videsne *ebrium* & *insanum esse*, tanquam vocabula idem sentientia vsurpari de eo, qui praestantissima madet doctrina? Nec tacendus *Isocrates*, sapientiae studium σώφρονα μανίαν vocans in epistola ad Dionysium p. m. 427. ἆτω τὰ μετέωρα τῆς ψυχῆς κινήματα ἐκπῆναί σε τῆς πάλαι θεωρίας ἠνάγκασαν, καὶ τῆς σώφρονος ἐκείνης μανίας ἀπάναχορεῖν παρεσκεύασαν; *Itane vero te sublimes isti fortunae motus a vetere contemplatione desciscere coegerunt, eoque redegerunt, vt sobrium illum furorem desereres?* vt optime vertit *H. Volsius*. Sic qui maxime sani, vulgi iudicio insani sunt; non secus ac Pythagoras habebatur praestigiator, eo quod singularia & quae plebs non

non caperet, iuuentutem docuerit, teste *Iamblicho* in vita illius cap. 32. p. 184. Simili fato plures inclutae doctrinae homines fuisse obnoxios, norunt omnes.

Sponte haec senseram, iamque testimonia illa veterum collegeram, quae sensum verborum Pauli antea indicatum monstrabant; dum fauens Fortuna illustris in hisce litteris viri, *Ioachimi Kuhnii*, quaestiones Philologicas ex sacris V. & N. T. aliisque scriptoribus propositas, nec vnquam antea mihi visas, obtulit, in quarum Pentade quinta, quaest. 3. pag. 9. sequentia laetus inueni, quae & sententiae nostrae robur, & illustrationem adferunt textui. *Qui aliquid dicit aut facit, quod hominum vel sui ipsius transgreditur captum,* μαίνεται. *Ita in Actis ancilla, quae vinctum Apostolum arctaque custodia septum prae foribus esse dixerat,* τὸ μαίνη *audit* c. 12. *Apud Homerum Hector* μαίνεται *Graecis, quum fauente Ioue in fugam ipsos auertit impetu acerrimo. Philo Iudaeus* μαίνεται *quando Flaccum, quem notare atro carbone volebat, initio libri in eum scripti laudibus extollit. Apostolus Festo inaudita & incredibilia de resurrectione mortuorum praedi-*

cans

cans μαίνεται. *Solone singulare fortitudinis & prudentiae specimen edente in arguenda & oppugnanda Pisistrati tyrannide*, ἡ βουλὴ μαίνεσθαι ἔλεγεν αὐτὸν, senatus Athenienſium dicebat inſanire illum. *Apollodorus quidam Socratis diſcipulus, quod ſe ipſum & omnes vna Athenienſes ignorantiae miſeriaeque quotidie condemnaret, ſolumque magiſtratum cenſeret ſapientem*, μανικὸς inſanus *cognominatus eſt. Ipſe in* Sympoſio Platonis, οὕτω, *inquit*, διανοούμενον καὶ περὶ ἐμαυτὸν καὶ περὶ ὑμῶν μαίνεσθαι καὶ παραφρονεῖν, quum ita de me & vobis ſentiam, inſanio & deliro. Haec, quamuis pluſcula, cum in lectorum textusque praeſentis gratiam adponenda duximus, tum ne os porrigere olim cogar maleuolis, ex Kuhnio deſumta eſſe noſtra dicturis; quem, vti in aliis praeceptorem, ita nunc adprobatorem duntaxat agnoſcimus. Eo enim ingenio natus ſum, vt gratus vbiuis proficear, per quos profecerim.

EXOD. XXXIV. 33.

ויתן על פניו מסוה׃

Impoſuit faciei ſuae velamen.

VTi καταπέτασμα ſanctum in templo vtroque diſiungebat ab adyto, vti

σινδὼν

κινδὼν extendebatur populum inter & pontificem summum, sacris in die piaculari operantem, iuxta codicem *Ioma* III. 4. ita magnum heic Mosen ab Israelitarum turba discriminabat κάλυμμα, quod tunc illum sumsisse, quum colloqueretur cum Israelitis, negant horum posteri plerique omnes; velatum duntaxat eius fuisse vultum contendentes quo tempore edit, aut bibit, aut dormiit, aut familiarius cum vxore sermones miscuit, aut ad domesticos verba fecit de rebus obuiis, non sacris. Lege *Abrabanelem* comment. in Pentat. fol. 178. col. 1. edit. nouissimae. Neque alienum ab hac sententia inuenio subtilissimi iudicii virum, *Alexandrum Morum* ad 2. Corinth. III. 13. Mosen a Deo venientem, retecta facie e superiore loco orationem habuisse ad multitudinem, sed vbi aequis cum ea versaretur locis, vultum obtexisse, arbitrantem. Non admitto acumen istud, neque in Ebraeorum gratiam & veritatem Ebraicam & Pauli testimonium trahere vellem eo, quo per legitimae interpretationis leges non licet. Ostendam, quod absurdum semper visum verpis, & quod nemini obseruatum, velami-

ne nimirum interpositio sermonem habere cum aliquo, eius esse, qui erudiat discipulos, cum doctoris tum rerum dicendarum lumen non sustinentes. Vnicum, at illustre, nobis suppetit Pythagorae exemplum, qui vti inter orientis nationes commoratus est diu, atque cum Ebraeis etiam vixit, sic dubitandum non est, eum Mosis factum, de quo inaudierat, imitatum fuisse, ita tamen, vt risum debeat sacrae historiae gnaris. Qui vitam Philosophi illius eleganter quidem & concinne, at pessimo consilio scripsit, *Iamblichus* capite XVII. pag. 78. refert, quod eius discipuli ἐσωτερικοὶ intra sindonem, ἐξωτερικοὶ vero extra illam audiuerint docentem. Ἐντὸς σινδόνος ἐπήκουον τοῦ Πυθαγόρου (οἱ ἐσωτερικοὶ) μετὰ τὸ ἰδεῖν αὐτόν· πρὸ τούτου δὲ ἐκτὸς αὐτῆς καὶ μηδέποτε αὐτῷ ἑωρακότες μετεῖχον τῶν λόγων, διὰ ψιλῆς ἀκοῆς ἐν πολλῷ χρόνῳ διδόντες βάσανον τῶν οἰκείων ἠθῶν. Ad interiora admissi *intra sindonem audiebant Pythagoram, sic vt simul eum viderint; quum antea & extra illam, & non conspecto praeceptore, nuda auditione gaudentes, diuturna morum ediderint experimenta.* Et capite XVIII. p. 91. memorat denuo τοὺς ἔσω σινδόνος καὶ ἔξω ἀκροωμένους τοῦ Πυθαγόρου, *qui aut*

 extra

extra aut intra sindonem audierint Pythagoram, τὰς μετὰ τῆ ὁρᾶν ἀκούοντας, ἢ ἄνευ τῆ ὁρᾶν, *qui audierint viderintque simul, aut qui tantum audierint nec conspexerint.* Ita οἱ ἐντὸς σινδόνος sunt prouectiores, vti οἱ ἐντὸς τῆ φιλήματος qui nobis chariores, ad osculaque admittendi, apud *Lucianum* in Pseudomante p. 772. Sed & diuinae maiestatis splendore illustrata Mosis facies, occasionem dedit idem narrandi de aliis. Quemadmodum de Proclo *Marinus* in eius vita cap. XXIII. p. 57. refert, vidisse aliquando Rufinum φῶς περιθέον αὐτῆ τὴν κεφαλήν, *capiti eius lumen circumfusum.* Vnde & Rufinus adorauit illum, καὶ τὰ τῆς θείας ἐκείνης ὄψεως ὤμνυς ἀπήγγελλεν, *diuinamque istam visionem iureiurando addito nunciauit.* Iamblichum inter orandum ab humo vltra decem cubitos sublimem fuisse raptum, corpusque eius ac vestem recepisse χρυσοειδές τι κάλλος, *colorem aureum,* testatur *Eunapius Sardianus.* Plura si volueris exempla, *Bartholinum* adito de morbis biblicis cap. 5. pag. 91. seq. & *Clericum* ad capitis nostri comma 29.

II. EP.

II. EPIST. AD TIMOTH. IV. 5.

Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, κακοπάθησον, ἔργον ποίησον εὐαγγελιςȣ̃.

Tu vero vigilans esto in omnibus, mala patere, opus perage Euangelistae.

VTi ab athletis & cursoribus paulo post, ita heic à militibus similitudines ducit Apostolus, praecepta dans in militia Christiana constantissime obseruanda. Primum est: νῆφε ἐν πᾶσι, quod res suas caute agere, sobriis vigilatisq; consiliis prouidere omnia suadet: cum quo fere conuenit illud Epicharmi apud *Lucianum* in Hermotimo p. 541. *Ciceronem* Lib. I. epist. 19. ad Atticum. νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιςεῖν. *Vigilans esto ac memento diffidere.* Sequitur κακοπάθησον, militibus paene proprium, vsurpatum certe de iisdem frequentissime. Apud *Herodianum*, Lib. VIII, c. 7. Maximus ita ad milites: βιώσεσθέ τε καὶ καλὰ γνώμην ἐν ἰδίαις οἰκείαις, μὴ ἐν ἀλλοδαπῇ κακοπαθέντες. *Viuetis autem ex animi sententia apud familiares, neque in externis regionibus vexabimini malis.* Sic λιμῷ καὶ δίψει κακοπαθέντες, *famem sitimque per-*

pessi

pessi dicuntur Macedones a *Polyaeno* VII. 25. pag. 656. Id quod Graeci verbo ταλαιπωρεῖν alias exprimunt, κακῶς ἔχειν ἐν τῷ πολέμῳ sonante, vt *scholiasta* docet *Thucydidis* ad lib. V. Vnde *Lesbonax* in λόγῳ προτρεπτικῷ non longe post principium p. m. 202. de molestiis vsurpat bellicis: τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν σώζετε ἐν ᾗ ἐτράφητε, ἣν ὑμῖν οἱ πρόγονοι τειχίσαντες καὶ ἄλλα πολλὰ ταλαιπωρηθέντες κατέλιπον. *Vrbem seruatis ac regionem, in qua educati estis, quam vobis bene munitam multoque sudore defensam maiores reliquerunt.* De calamitatibus in itinere per hostium terram a militibus superatis, est in *Zosimo* III. 28. p. 323. Verum Sigalionis moneor pollice. Perquam eleganter κακοπαθεῖν adhibet Paulus, opponendo curas corporis iis quae ad animum spectant; has per νήφειν, illas vocabulo nostro expressit, & satis quidem proprie, quum σώματι κακοπαθῆσαι plene dixerit *Isocrates* ad Nicoclem pag. 24. eidemque e regione locauerit τῇ ψυχῇ πονῆσαι. Quid? quod ipse Apostolus in secundo huius epistolae capite, commate 3. scripserit, Σὺ οὖν κακοπάθησον, ὡς καλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ, fontesq; monstrauerit sollicite, vnde significatus sit petendus, dum

στρα-

στρατιώτην memorat καλὸν, quem *Isaeus* orat. IV. p. 446. & reliqua Graecorum turba στρατιώτην ἀγαθὸν vocant. Neque vox ἔργον sensui, quem dedimus, repugnat. Equidem ἐργάζομαι, ἐργάτης, ἔργον, de marmorariis siue lapicidis nec non agricolis adhibentur, quorum illud *Io. Pricaeus* ad 2. Timoth. II. 15. hoc *Lambertus Bos* in obseruationum miscellan. cap. 6. pag. 28. seqq. aliique a V. Cl. *I. C. Volsio* ad Libanii epistolam XLVIII. p. 136. indicati ostenderunt. At non pauca sunt idoneorum scriptorum loca, vbi ἔργον nil nisi *bellum* sonat, obseruante exemplisque comprobante doctissimo *Graeuio* ad Luciani tomum primum pag. 985. Quare boni pastoris militisque Christiani officium quodcunque, ac nominatim ἐλέγχειν & ἐπιτιμᾷν, de quo commate secundo, breui tabella depictum heic adparet. Vigilantia enim, fortitudo, prudentia, patientia, veritatis diuinae nuncium decent vbiuis, eidemque vnica esse debet voluptas, labori tam vtili tamque glorioso immori.

IVDIC. XVI. 17.

אם גלחתי וסר ממני כחי׃

Si tonsus fuero, recedet a me robur meum.

EX pilis fortissimi Israelitarum iudicis, Simson, natum esse Nisi, Megarensium regis, crinem purpureum, sane non dubito, idq; in mentem venisse viris egregiis *H. Grotio*, *Iunio* atque *Tremellio* laetus mihiq; ipsi adplaudens deprehendi. Nisо illi *responsu fuit, tam diu eum regnaturum, quã diu eum crinem custodisset. Quem Minos Iouis filius oppugnatum quum venisset, a Scylla Nisi filia, Veneris impulsu, est amatus, quem vt victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit. Itaque Nisus victus a Minoe est*, verba sunt *Hygini* fabula CXCVIII. Sic Nisum Scylla, Simsonem Delila, illa amoris aestu impulsa, haec amorem simulans, morti tradidit, abscissis vtriusque capillis. Nisi coma *purpurea* constanter vocatur Romanis, vt *Hygino*, *Virgilio*

gilio Georg. I. 405. *Tibullo* I. 4. *Ouidio* metamorph. Lib. VIII. ceteris. Graeci etiam πλόκαμον nuncupant πορφυρᾶν, vt *Lucianus* fine libelli de sacrificiis pag. 370. nec non de saltatione pag. 802. τρίχας πορφυρᾶς *Pausanias* Atticis p.m. 17. & *Luciani Scholiastes* Tom. I. p. 16. Hinc etiam liquet, quod obiter adspergo, & *Eustathium*, & *Scholiastam Luciani* ad Tom. II. p. 3. errare, quando πλόκαμον de muliebribus cincinnis proprie adhiberi volunt. Contrarium patet ex duobus locis Lucianeis, quibus tertium addo, ex Ioue Tragoedo tomo II. p. 141. vbi Deorum patris πλόκαμοι nominantur; itemque quartum ex Gallo p. 169. vbi Pythagorae πλόκαμοι. Et πλοκάμων Bathylli mentio in *Anacreonte* od. XXIX. Iam vero duplicem sustinere poterit in hac materia sensum vox *purpureus*. Vel enim idem erit ac *pulcher*, quomodo tam Latinis, de quibus adeundus *Theodorus Sitzmanus* ad Boethii consolationem philosophiae pag. 158. s. quam Graecis vsurpatur, indice *Salmasio* ad aram Dosiadae pag. 139. atque *Iosua Barnesio* ad Anacreontem pag. 265. quomodo etiam S. Martino per quietem sibi adparenti *crinem purpureum* adscribit *Sulpicius Seuerus* epist.

secunda post initium pag. 365. Vel reapse purpurea caesaries caput exornauerit Nisi. Etenim antiquissimis temporibus rutilus siue flauus in crinibus color decus erat maximum, quod copiose ostenderunt *Hadrianus Iunius* de coma cap. IX. *Iacobus Perizonius* ad Aeliani var. hist. IX. 9. p. 543. atque *Christianus Henricus Postel* ad Iliada XIV. p 204. seqq. Sic capitis coma confertur cum purpura in Cantic. VII. 6. Mosen capillis fuisse rufis, Artapanus apud *Eusebium* libro IX. praepar. Euangel. c. 27. extr. tradit; indeque Caliphas Saracenicos, ad Mosis imitationem, capillos suos rubro imbuere colore, ac rutilas ideo Turcis hodieque comas probari, coniicit ὁ πολλ' ἰδὼς *Reinesius* in epistola priore ad Vitum Volfrum, subiecta τεταγμένοις linguae Punicae. Ceterum in Nisi fabula latere Simsonem, vel ideo persuasum nobis est, quod in *Babba bathra* fol. 91. col. 1. sorori Simsonis nostri nomen נשא fuisse legatur. Quod etsi nullis tabulis genealogicis inspectis ita pronunciarint Gemarici, liquet tamen ex familia Simsonis eductam esse Nisi adpellationem. Fieri autem in fabulis, vt personae, sexus, aetates, & reliqua, ex veris historiis sumta, mutentur, nemo nescit, nisi qui, quid fabula sit, ignorat. IO.

IOANNIS XVII. 21.

Ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν.

Vt illi quoque in nobis unum sint.

HVc enim tendit Christianae doctrinae scopus, quemadmodum Philosophiae finem ἕνωσιν cum Deo statuerunt Pythagorici, Platonici, Stoici; quod nemini ignotum esse potest, qui vel *Iamblichum* legerit de Mysteriis Sect. X. capitibus 1. 5. 6. vel *Hieroclem* euoluerit ad vltimum aureorum carminum versum. Scilicet, non videbatur sufficere, *familiarem* se ac *Deo similem* pronunciare, quod de multis antiqui aeui Philosophis ceterisque viris egregiis legimus; restabat adhuc vnio hominis cum diuina natura. Illustre est, dubito an verum, Plotini exemplum a *Porphyrio* in vita illius capite XXIII. verbis notatu cum maxime dignis relatum. Ἐφάνη ἐκεῖνος ὁ μήτε μορφὴν, μηδὲ ἰνα ἰδέαν ἔχων, ὑπερ᾽ δὲ νῦν καὶ πᾶν τὸ νοητὸν ἱδρυμένος. - - Ἐφάνη γὰρ τῷ Πλοτίνῳ σκοπὸς ἐγγύθι ναίων. τέλος γὰρ αὐτῷ ἡ σκοπὸς ἦν τὸ ἑνωθῆναι καὶ πελάσαι τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ. ἔτυχε δὲ τετράκις πε, ὅτε συνήμην αὐτῷ, τῇ σκοπῇ τάτε,

ἐνεργείᾳ ἀῤῥήτῳ καὶ ἑ δυνάμει. *Adparuit* Plotino Deus *ille*, *nec formam nec ideam aliquam habens, sed super intellectum & omne intelligibile in se ipso consistens. Adparuit*, inquam, *Plotino finis ille quam proximus. Finis namque Plotino signumque erat, quo aciem mentis intenderet, adpropinquare coniungique ipsi Deo omnibus vbique praesenti. Quater autem, dum cum ipso versarer, hunc finem est adsecutus, non potentia duntaxat, inquam, sed actu quodam ineffabili consecutus*, vt fere sonat versio *Marsilii Ficini*. Inseruit huic narrationi proprium de se exemplum *Porphyrius*: ᾧ δὴ καὶ ἐγὼ ὁ Πορφύριος ἅπαξ λέγω πλησιάσαι καὶ ἑνωθῆναι, εἶῶ ἄγων ἑξηκοστὸν τε καὶ ὄγδοον. *Cui etiam* supremo Numini *me Porphyrium semel adpropinquasse coniunctumque fuisse fateor, idque quum octauum atque sexagesimum aetatis annum agerem.* Sunt & alia huius ἑνώσεως apud veteres vestigia ὅσα κόνις, sed quae reseruamus alii loco. Nequeopus discrimen exponere, inter Philosophicam illam (ita enim adpellare lubet) ἕνωσιν, & Christianorum mysticam. Somnium illa est, quod Philosophorum aliquis per febrim vidit, haec ipsius Veritatis ore

ore sancita, multorumque vere piorum exemplis certissimis comprobata. Denique pedamenti loco & tomenti, diuersas quasdam rerum variarum *vniones*, multiplicemque vocabuli ἕνωσις vsum, ex manu scripto codice Graeco *VFFENBACHIANO*, argumenta & summaria Actuum Apostolicorum epistolarumque catholicarum complexo, addere visum. Sic vero in calce istius libri lego:

Η΄ κατ' ὐσίαν ἕνωσις, ἐπὶ τῶν ὑποστάσεων, τετέσιν ἀτόμων.

Η΄ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις, ἐπὶ τῶν ὐσιῶν, ὡς ἐπὶ ψυχῆς καὶ σώματος.

Η΄ κατὰ χέσιν ἕνωσις, ἐπὶ τῶν γνωμῶν, ὡς εἰς ἓν θέλημα.

Η΄ κατὰ παράθεσιν ἕνωσις, ὡς ἐπὶ τῶν σανίδων.

Η΄ κατὰ ἁρμονίαν ἕνωσις, ὡς ἐπὶ τῶν λίθων.

Η΄ κατὰ κράσιν ἕνωσις, ὡς ἐπὶ τῶν ὑγρῶν.

Η΄ κατὰ φύρσιν ἕνωσις, ὡς ἐπὶ τῶν ξηρῶν καὶ ὑγρῶν, τετέστι ἀλεύρου καὶ ὕδατος.

PSAL.

PSAL. CXXXIII. 2.

כשמן הטוב על הראש ירד על
הזקן זקן אהרן׃

Sicut vnguentum praestantissimum in capite, descendens ad barbam, barbam Aharonis.

OLeum profecto perderemus operamque, si aut de oleo Pontificis magni capiti superfuso, aut de vngendi ratione, longum instituere vellemus κυκεῶνα. In vulgus enim nota haec sunt, nec pueri ignorant, nisi qui nondum aere lauantur. Multo minus enarrationem quis nugarum exspectabit male olentium quorundam Iudaeorum, qui duas guttas margaritarum instar ex Aaronis barba suspensas ridicule tradunt in *Cerithuth* fol. 77. b. versu 8. ante finem; quod commentum *Ioanni Lundio* Lib. I. sacerdotii Leuitici cap. 29. pag. 159. arrisisse est omnino mirum. Adeo ineptiae Rabbinicae omne corrumpunt ingenium illorum, qui nimio amore in eas-

dem

dem feruntur; quod non paucis contigit. Immo nec ritum vnguentis perfricandi crines huc vocabimus, quem tam docte tractauit *Spanhemius* ad Callimachi hymnum in Apoll. v. 38. seq. vt ab eo dictis quidquam addi nequeat. Hoc quaeri video, quod honore quaestionis vix dignum, qua nimirum ratione in barbam descendisse dicatur oleum istud sanctissimum? Responsum esto, sed paucis. Liberalius necesse est fuerit effusum, quam auari volunt Ebraei, sic vt vel in anteriorem barbae partem, vel eam quae latera flagellabat, vel vtramque simul, (id enim parum refert: & quis in Aharonis barba contemplanda tam curiosus esset, quam sunt antiquarii de barba Caroli M. solliciti?) aliquid liquoris illius pretiosissimi defluxerit. Sanior est hac in re, vt ferme alias semper, popularibus suis *Philo*, libro III. de vita Mosis pag. 675. C. scribens: προσαγαγὼν τὸν ἀρχιερέα, πολλῷ λίπει τὴν κεφαλὴν ἀλείφει: *adducto sacerdote summo, largiter adhibito oleo caput eius perunxit.* Ceterum, similis plane est locutio, & quae totum huncce locum illustrat, in *Anacreontis* oda XV.

Ἐμοὶ μέλει μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνην.

Curae mihi est, vnguentis perfundere barbam.

EPIST. AD EBRAEOS VI. 6.

Ἀναστανροῦντες ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ.

Cruci affigentes sibimet ipsis filium Dei.

ARgutissimas alunt nugas cum Lexicographis commentatores, ἀναστανροῦν nouo & in vniuersa Hellade non comparente significatu, *iterum cruci suffigere*, imbuentes. Diu est, quod hunc intelleximus errorem, quem vbi a clarissimo *Lamberto Bos* in exercitationibus Philologico Theologicis ad h. l. exsibilatum vidimus, non tam nobis quam Musis Graecis & bonarum litteratum Genio gratulari coepimus, id vnum serio dolentes, viri docti librum nunc demum ad nos veniisse. Deprehendimus quippe non raro illum in eadem nobiscum mente esse, atque in expositione cumprimis loci Actor. XVI. 13. quam libro tertio harum obseruationum dedimus, per omn.a

omnia idem sentire, ita quidem vt aut ille nos transscripsisse videri possit, aut nos illum; nisi virum celeberrimum ante nos in lucem prodiisse constaret; meas autem paginas tum exaratas, quum eius librum nondum inspexerimus, sancte adfirmare possem. Fieri autem aliter non potuit, quam vt eadem aliquando sentiremus, quia eosdem Graecos auctores, eodem animo illustrandi scripturam legit vterque. Ita est: verbum hocce nostrum in nullo bonae notae auctore *cruci rursum affigere* notat, semper autem, sublimem aliquem in crucem agere. Quod etsi Bosiana industria non paucis ostenderit exemplis, aliis tamen, pridem a me obseruatis, confirmare necessum erit, quia cum inueterata opinione, & quae versiones obsedit omnes, res nobis in praesentia est. *Plutarchus* περὶ ἀδολεσχίας Tom. II. p. 509. A. ταῦτα ἀκέσας ὁ Διονύσιος ἀνεσαύρωσεν αὐτόν. *Iosephus* de bello Iud. lib. II. cap. 7. pag. 725. edit. Graecae Basileensis anno MDXLIV. excusae, τὰς δὲ αἰτιωτάτας ἀνεσαύρωσε, περὶ διακοσίους. In eodem libro cap. 21. p. 736. τὰς ὑπὸ Κεμάνου ζωγρηθέντας ἀνεσαύρωσε πάντας. Et in Antiqq. lib. XVIII. 4. circa finem, ὁ Τιβέριος ἐκείνους ἀνεσαύρωσεν, & alibi

libi saepius. Eodem simulacro, eademque rationis imagine ἀνασκολοπίζειν ponitur in *Luciani* iudicio vocalium tomo I. pag. 50. in Timone pagg. 174. 177. 178. in Contemplantibus pag. 352. bis, in Reuiuiscentibus, post initium p. 390. in Tyranno pag. 427. in Ioue confutato tomo II. p. 125. in Ioue tragoedo p. 139. in Philopseude p. 346 in Longaeuis p. 470. Immo ipsum Saluatorem nostrum impurus nebulo τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα vocat, libello de morte Peregrini p. 566. & mox τὸν ἀνασκολοπισμένον σοφιστὴν, pag. 568. Adde quod *Eusebius* hist. Eccles. lib. 2. cap. 25. de Petro dixerit, eum ἀνασκολοπισθῆναι temporibus Neronianis. Quid molior? *Hesychius*, Grammaticarum alpha, ἀνασκολοπίσει dudum exposuit ἀνασταυρώσει. Certe si tanta inesset potestas praepositioni ἀνὰ, quantam fingunt interpretes, dicendum similiter mox ab Apostolo fuisset ἀναπαραδειγματίζοντες, quod tamen vocabulum aut nusquam, quantum nouimus, occurrit, aut, sicubi legeretur, nil aliud sonaret, quam simplex παραδειγματίζω.

GEN.

GENES I. 1.

בראשית ;

In principio.

DVbium non eſt, antiquiſſimis gentilium & veteris teſtamenti libros inſpectos, & hiſtoriam conditi coeli terraeque, a Moſe adornatam, fuiſſe cognitam. De Porphyrio, Iuliano, Themiſtio, nulla eſt quaeſtio; Dionyſium Longinum in verbis: *fiat lux*, ſummam ſtili quaeſiuiſſe maieſtatem, non opus vt commemorem, quum & ipſe hoc teſtetur, & integrae virorum doctorum exercitationes abunde doceant. Homerum quoque Geneſeos initium ברשאית ברא אלהים את השמים ואת הארץ ita transtuliſſe Iliade Σ. 483.

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ' ἐν δ' οὐρανὸν, &c.

cenſet *Iuſtinus Martyr* admonitione ad gentes pag. 27. pluribus ibidem commonſtrans, multa ex diuinis Prophetarum ſcriptis in opus ſuum retuliſſe vatem. Idem de *Heſiodo* pronunciandum eſt, Muſas

inuocante, velint antiquam orbis faciem coelique delineare, in Theogon. v. 114.

Ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἰπατ' ὅ, τι πρῶτον γένετ' αὐτῶν.

Vltimum *temporis principatum*, vt in Bruto loquitur *Tullius*, nosse desiderat Ascraeus. Neque adeo opus, in prioris versus fine τελείαν ponere ζυγμὸν, reliqua autem, noua incipiente propositione, sic legere:

Ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἰ ποθ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν, &c.

quemadmodum popularis noster, magnus ille *Capnio* lib. 2. de Kabbala contendebat, sub censuram propterea vocatus a *Petro Petito* miscell. obseruat. lib. I. cap. 18. Immo & *Ioannes* Mosen imitatus est; quasi augustior deesset libros auspicandi modus. Hinc illud in Euangelio: Ἐν ἀρχῇ, item in priore epistola: ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. Nempe, creatum describit mundum Moses, restitutum Ioannes. Iam vero non sine graui ratione hanc vocem in limine scriptorum Mosaicorum, ipsiusq; rerum omnium principii, collocatam cogitare debemus. Vel enim Philosophis ea opponitur barbaris, coelum terramque

terramque vniuersi huius cauſſam ſtatuentibus, vt *Diodorus* vult, cuius locum ex MSC. profert doctiſſimus *Montfaucon* ad Hexapla Origenis; vel orientalibus nonnullis, nominatimque Sabaeis, mundi aeternitatem credentibus, quae coniectura eſt *Clerici* h. l. Vtique magis haec vera ſunt, quam nugae Rabbinicae, neſcio quae, in cauſſa, cur בראשית primum occupet Geneſeos locum, promenda occupatae. Ne caſſa quidem nuce ſunt dignae, nec ego ciccum interduim. Mittendi homines iſti cum fumis ad canem & furcam. Denique notandum, *coelum* in creationis hiſtoria praeponi *terrae*, quia ante hanc creatum eſt. Quae ſubieci verba *Michaelis Pſelli* ſunt ex omnifar. doctrin. cap. XVII. Δεῖ διεσθαι τὸν ὐρανὸν πρῶτον γεγενῆσθαι, ὡς ϗ κρεῖττον σῶμα καὶ ὧν ἄλλων περιληπτικόν. *Exiſtimandum eſt, primo loco factum coelum, veluti corpus praeſtantius, & quod cetera complectitur.*

I. EPIST. AD CORINTH. XIII. 1.

Κύμβαλον ἀλαλάζον.

Cymbalum tinniens.

QVum *linguae* mentio praeceſſiſſet, eleganter *cymbalum* nunc ſequitur. Labiorum

biorum quippe similitudinem habuerunt cymbala veterum. *Fulgentius* Mytholog. lib. I. cap. 14. *Duo labia, velut cymbala, verborum commoda modulantia; lingua vt plectrum, quae curuamine quodam vocalem format spiritum.* Conferat quoq; symbolam suam *Rabanus* monachus, etsi recentior. Sic ille de sermonum proprietate & mystica rerum significatione lib. XVIII. cap. 4. *Cymbala bene sonantia labia nostra debemus accipere, quae non immerito inter Musica instrumenta posita sunt, quia & similitudo quaedam est cymbalorum, & per ea voces humanae harmoniam reddere suauissimam comprobantur.* Paulo ante scripserat: *Cymbalum acetabula quaedam sunt, quae percussa inuicem se tangunt, & faciunt sonum. Dicta autem cymbala, quia cum ballematia similiter percutiuntur.* Haec in *Isidori* quoque originum libro II. 21. occurrunt, cuius testimonium quum protulisset ad praesentem textum *Io. Clericus*, subiicit: *Quid sibi velit vox* ballematica *nescio; sed cymbalum deriuandum non* ἀπὸ τῦ συμβάλλεθαι, *sed* ἀπὸ τῦ κύμβε, *quod* concauum *sonat.* Atqui *ballematica*

matica ex βαλλίζειν, siue βαλλεῖν, quod *saltare* notat, vnde Latinum *ballare*, ipsaque βαλλημάτικα cymbala esse, ad quorum sonitum saltauerint prisci, vti *ballematia*, quod in *Rabano* legitur, *saltationes*, discere poterat vir doctus ex *Cl. Salmasio* ad Vopiscí Aurelianum pag. m. 428. Neque ex hoc tantum, sed melioris notae lexicis Glossariisque, *Martinio* puta in Lex. Philol. voce *Cymbalum* pag. 280. ex *Meursio* in Glossario Graeco-barbaro, pag. 67. edit. Lugd. Bat. 1614. ex *Carolo du Fresne* in vtroque Glossario, inprimis autem in Latino, ex *Henrico Spelmanno*, denique ex *Steph. Skinneri* Etymologico linguae Anglicanae, in voce *Balat* & *Bal*, nec non ex *Thomae Holyoke* Large Dictionary, voce *Balare* & *Balatro*, eadem omnino referentibus, quae apud *Spelmannum* leguntur. Monstrauit nobis ea loca ornatissima VFFENBACHII mei bibliotheca, quam vti saepius benignam expertus sum matrem, ita laudare denuo cogor. Mens Apostoli est: Qui linguarum peritia, quanta in hominem cadere potest, summa, instructus, qui fide potentissima, qui virtute miracula patrandi, dono insuper vaticinandi, re-

 rumque

rumque vel maxime reconditarum cognitione praeditus, charitatis autem expers fuerit, non aliter se habet, quam qui labia duntaxat mouere, at distinctum edere sonũ nullum potest. Etenim ἀλαλάζειν id praeter alia indicare, *Ezechiel Spanhemius*, vir illustris, &, si quisquam alius, Ausoniae maidus Latiaeque Mineruae artibus, ostendit in adnotatis ad Iuliani orationem primam pag. 233. seqq. Post quem in verbi istius significationes inquirere velle, quamuis improbae cuiusdam subtilitatis videri possit: nil tamen impedit, quo minus tantum lucis adferre studeamus & Paulo nostro & Marco V. 38. (apud quos tantum deprehenditur in N. T. illud vocabuli) quantum per nos licet. Ἀλαλάζειν & ἐπαλαλάζειν de bellico militum clamore vsurpari, bene multis probauit testimoniis *Spanhemius*, quibus commodum adiicio *Polyaenum* Lib. I. 20. 1. pag. 41. Lib. II. 3. 8. pag. 156. Lib. III. 9. 27. p. 246. Lib. IV. 3. 21. pag. 339. & eodem capite num. 25. p. 345. item num. 29. p. 351. eodem libro cap. 7. num. 8. pag. 396. cap. 9. num. 2. pag. 407. (vbi simul nomen ἀλαλαγμός, quod iterum Lib. VIII. 16. 5. pag. 723. extat) Lib. VIII. 5. pag. 703. & cap. 23. num. 2. pag. 735. atque

atque num. 11. pag. 744. Apud eundem ἀντ-αλαλάζειν Lib. VIII. 23. 2. pag. 735. inuenias, de militibus clamorem contra edentibus; estque rarissimum verbum, in thesauri Stephaniani indicem quidem coniectum, at sine auctore vllo, ab *Ezechiele* autem *Spanheimio* plane neglectum, qui praeterea nonnisi duo *Polyaeni* loca, ex initio libri primi sumta, in medium adduxit. De praedonum vociferatione, quam expresserint milites, ἐπαλαλάζειν vsurpauit *Iamblichus* in vita Pythagorae, cap. XXXI. pag. 166. ληστρικῶς αὐτοῖς ἐπαλαλάξαντες ἐπέθεντο οἱ στρατιῶται, *latronum ritu milites vocibus sublatis irruerunt.* De barbaro & incondito boatu est apud *Psellum* de operat. daemonum pag. 101. βάρβαρόν τινα γλῶσσαν ὑπετόπαζεν ἀλαλάζουσα, *barbarum nescio quem sermonem immurmurabat.* Ceterum sicuti heic ἀλαλάζειν cymbalo tribuitur, ita ψαλμῷ siue fidibus hoc adscripsit *Aeschylus* in tragoedia deperdita Ἠδωνοὶ, cuius particulam huc spectantem seruat *Strabo* lib. X.

Ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει.
Ταυρόφθογγοι δ' ὑπομηκῶνταί ποθεν
Ἐξ ἀφανοῦς φοβέριοι μίμοι· τυμπάνου δ' ἠχὼ,
Ὥσθ' ὑπογείου βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

Fides vero resonant; boumque mugitus aemulae voces reboant aliunde ex occulto formidabiles; tympani autem echo, tanquam subterranei tonitru, fertur turbulenta.

IOELIS II. 25.

הארבה הילק והחסיל והגזם חילי
הגדול אשר שלחתי בכם׃

Locusta, melolontha, bruchusque & eruca, exercitus meus maximus, quem in vos immisi.

CElebres viri fama & multo nomine, *Samuel Bochartus*, ac *Iobus Ludolfus* (his enim antiquiores prudens omitto) tam sollicite considerarunt locustas, vix vt dici aliquid in hoc argumento queat, quod non dictum sit ab illis duumuiris prius. Itaq; hoc solum considerabimus, quam vere *copiae Dei maximae* adpellentur. Prostant omnino publicae calamitatis, per locustas editae, exempla, quorum non pauca exrecentiore etiam aetate collegit nunquam sine honore & a nobis, & ab aliis vocandus *Ludolfus*,

Ludolfus, in appendice secunda ad historiam Aethiopicam, dissertationem continente de locustis pag. 9. seqq. Est inter ea maxime notabile illud, quod anno Christi DCCCLXXIII. euenisse, Reginonis, Auentini, Brunneri, veteris denique scriptoris, inter auctores e bibliotheca P. Pithoei editos occurrentis, auctoritate ostendit. Nos prioris tantum & posterioris verba, sed non omnia, huc transferemus. Regino scribit Annal. L. II. p. 420. *Spatium diurni itineris quatuor aut quinque miliaribus extendebatur; peruenerunt autem vsque ad mare Britannicum, in quo, Deo volente, violento ventorum flatu impulsae atque demersae sunt.* Posterioris verba sunt: *Locustae ab oriente venerunt, & vniuersam superficiem terrae instar niuis operuerunt, cunctaque in agris & in pratis viridia deuastabant. Erant autem ore lato, & extenso intestino, duosque habebant dentes lapide duriores, quibus tenacissimos arborum cortices corradere valebant*, &c. Opportune admodum nuper incidi in libellum MSC. memorias factorum euentuumque antiquiorum seruantem, sine vllo tamen temporis ordine, in publi-

ca Butisbacensium bibliotheca visendum, vnde ad me missus est beneficio reuerendi amici nostri *IO. HENR. GEBHARDI*, verbi diuini ministri & bibliothecarii celebratissimi, cuius insignem humanitatem, & bene de nobis quam cumulatissime merendi studium non possum quin publice laudem. Auctorem scripti illius nominare non ausim; esse tamen quendam, nomine *Discipulus*, puto, quippe cuius sermones de sanctis, promtuarium miraculorum B. Mariae virginis, atque Kalendarium de festis sanctorum intimandis in eodem volumine antecesserunt, quibus demum chronologica haec nostra (si ita vocare velis) subiuncta cernuntur, ab vna eademque manu, circa ipsum saeculi XV. medium exarata. Audiamus loquentem, quidue discriminis hunc inter & illos intercedat, attendamus. *Anno Domini DCCCLX. in Gallia locustae terram replentes quasi spissa nix operuerunt, sex alas & sex pedes habentes, & duos dentes lapidibus duriores, turmatim quoque in loco vno, quanquam ad alterum, volantes per quatuor milliaria. Herbas & arbores & segetes vastauerunt vsque ad mare Britannicum, vbi flatu ventorum*

torum submersae, & rursum feruore solis ad litus proiectae putruerunt. Et exinde aere corrupto tam pestibilis morbus secutus est, vt fere tertia pars illorum hominum interiret. Nullum dubium, quin eadem narretur vtrobique historia, quanquam noster, oscitans, vt videtur, aut festinans annum DCCCLX. memorat, ceteri septuagesimum tertium. Sunt in omnibus circumstantiae locutionesque similes. *Dentes lapide duriores* incertus apud Pithoeum nominat; *quatuor milliarium, maris Britannici, flatus* denique *ventorum demergentis* meminit Regino. Enimvero dum *sex alas* locustis adscribit Noster, oppido fallitur; neque is tantum, sed plures, summo notati *Ludolfo*. Quorum sane opinionem veram minime esse, non argumentis, verum oculis, iudicari potest. Aliud, nec minus triste, cladis a locustis illatae exemplum ex idoneis auctoribus recitat *Ludolfus*, dum anno MCCCXXXVII. vel iuxta alios, XXXVIII. horrenda locustarum colluuies Poloniam, Austriam, Bohemiam atque Germaniam, integro triennio vexauit. Et illud in MSC. nostro comparet, hoc verborum ordine litteris consignatum:

gnatum: *Anno Domini MCCCXXXIX. circa festum sancti Ioannis baptistae venerunt locustae per totam Franconiam & aliis pluribus locis in multitudine maxima, aerem ad instar densae nubis obumbrantes, habentes quasi ferrea rostra, operientes superficiem terrae sicut nix, vastantes segetes, germina & fructus arborum; de quarum stercore semper aliae sunt subortae. Post dimidium autem annum auolarunt, & quo deuenerunt, nescitur.* Additur, legi *haec in chronica Hermanni.* Discrepat in multis, vt vides, manu scriptus codex, ab his, quae Caluisius, Auentinus, aliique narrant. Primo annum nominat XXXIX. tum generationis modum omnino mirabilem refert, denique locustas vltra sex menses non visas testatur; idque ex vero. *Tres* enim *anni*, a reliquis, magno licet consensu, indicati, spurii tamen semper visi sunt perspicacissimo *Ludolfo*, insigni propterea dubio relationem vulgarem laborare profesſo, pag. 11. quum *insolitum & inauditum prorsus* sit, *locustas tres annos in Europa durauisse.*

MATTH.

MATTH. I. 18.

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς.

Antequam conuenirent.

CAstigandi sunt, qui verbum συνέρχομαι de coniugali consuetudine aut nunquam accipi contendunt, aut heic saltem ita capiendum negant. Et tamen eo sensu in non spernendis auctoribus obuium esse, *Raphelius* ad h. l. ostendit, & nunc vno alteroue exemplo monstrabimus. *Luciani* verba sunt in dialogo Neptuni ac Mercurii pag. 201. Ταύτῃ ΣΥΝΕΛΘΩΝ, ἐγκύμονα ἐποίησεν. *Cum hac* (Semele) *congressus* (Iupiter) *praegnantem fecit.* Haec scriptor ille Greeca venustate celebratissimus. Neque aliter *Zosimus*, iunior quamuis, tamen Atticis vix cedens, libro secundo, cap. 5. pag. 134. Κωνσαντῖνος, ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς ἀσεμνῆς, καὶ δὲ κατὰ νόμον ΣΥΝΕΛΘΟΥΣΗΣ Κωνσαντίῳ τῷ βασιλεῖ, γεγεννημένῳ κτλ. *Constantinus ex consuetudine mulieris parum honestae, & cum qua praeter legem Constantius rex fuerat congressus, natus &c.* Etiam simplex ἐλθεῖν ea notione occurrit in *Xenophonte*

re de Lacedaem. Republ. post initium, qui γυναῖκα πρὸς ἄνδρα ἐλθεῖν dixit. Neque video, cur συνελθεῖν ex similium vocabulorum eandem rem designantium, excludi debeat numero, qualia sunt πλησιάζειν, συγγενέσθαι, συνομιλεῖν, συνεῖναι, κοινωνεῖν, alia, quae de Venereis exercitiis haud raro adhiberi, nemo nisi vacui capitis stipes, litterarumque Graecarum plane ignarus, negabit. Remoto itaque impedimento, significatu nimirum vocabuli συνελθεῖν peregrino, ut putabant, aut certe Ebraeorum בוא referente, non video quid vlterius obstet, quo minus de *coitu* nobiscum deinceps consentire velint, quum nil omnino adferri possit quod domumductionem suadeat, magis quam τὴν γυναικείαν σύνοδον, quomodo *Lucianus* in Amoribus pag. 893. 898. & 900. adpellat.

IESAIAE I. 2.

שמעו שמים והאזיני ארץ׃

Audite coeli, auribusque percipe terra.

VIm ac robur excelsi animi orationis exordio impressit Iesaias, & vatis munus

nus egregie sustinens, & oratoris potentissimi partes non improspere implens. Coelum terramq; inuocare Poetarum filii plerumq; solent, qui vti se coelo proximos credunt, sic illorum ingenio, magnum spiranti honorem, communiumque vocum respuenti atque fastidienti, nonnisi magnificae locutiones conueniunt. Quod quum heic non obseruarint ipsi litteraturae principes ordinumque ductores, quid mirum leuioris armaturae milites, & qui nudius demum tertius in hanc militiam recepti fuerunt, talia ignorasse? Plane sicut Iesaias, ita & *Homerus* hymno in Apollinem v. 334.

Κέκλυτε νῦν μοι γαῖα καὶ εὐρὺς οὐρανὸς ἔνερθεν,
Τιτῆνές τε θεοὶ τοὶ ὑπὸ χθονὶ ναιετάοντες
Τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἀνδρές τε θεοί τε,
Αὐτοὶ νῦν μευ πάντες ἀκούσατε.

Audite nunc me terra coelumque amplum desuper, atque Titanes Dii, sub terra habitantes circa tartarum magnum, ex iisdemque viri ac Dii. Ipsi iam omnes me audite. Est vero Iesaiae stilus satis grandiloquus, atque ad ligatae orationis faciem prope accedens, quare denuo eadem ex parte vtitur locutione Cap. XXXIV. 1. & diu ante ipsum Moses, sed, quod notandum

dum, in carmine, Deuteron. XXXII. 1. Non *aures* tantum coelo schemate quodam rhetorico in sacris litteris adscribuntur, verum etiam *os*, Psal. XIX. 2. quibus *cor* addunt Doctores Ebraici in דברים רבה fol. 246. col. 1. idque admodum Rabbinice, hoc est stolide, ex Deuter. IV. 11. vbi לב השמים nominatur, euincunt. Porro formula nostra singulare quid nos prolaturos monet, summamque ab auditoribus postulat attentionem. In obtestationibus maximis ceterisque grauissimis negotiis Graeci pariter adhibent vel ὦ γῆ, ἢ ποταμοὶ, ἢ θάλατλα, vt *Lucianus* de morte Peregrini Tom. II. p. 561. vel simpliciter ὦ γῆ καὶ θεοὶ, prout idem ait De mercede, conductis, Tom. I. pag. 464. ac *Demosthenes* in oratione pro corona pag. 335. C. itemque *Aristaenetus* lib. 2. epist. 20. Quae posterior exclamatio, ὦ γῆ ἢ θεοὶ Ebraicae האזינו שמים וארץ respondet, quum *coeli* nomen pro Deo sumatur cum in sacro codice Deut. XXXII. 40. Psal. LXXII. 9. Dan. IV. 23. tum in scriptis magistrorum frequentissime. Hinc phrases השמים ירחמך Deus misereatur tui, in *Medrasch Koheleth* fol. 121. col. 4. יראת שמים timor Numinis, apud *Abrabanielem*

lem commentar. in legem fol. 85. a. edit. Hanouiensis, גזירת שמים decretum diuinum, in חסד לאברהם fol. 58. a edit. Solisbacensis, שום שמיא nomen Dei in *Targum Ionathanis* & *Hierosol.* ad Genes. XV. 1. itemque in דרך ארץ fol. 21. a. Hinc salubre illud praeceptum כל מעשיך יהיו לשם שמים omnia quae moliris, in honorem cedant supremi rerum humanarum domini, quod ex anteceſſorum ore legitur etiam apud *Kimchium* in Psal. I. 2. conuenitque cum Apostolico mandato 1. Cor. X. 31. πάντα εἰς δόξαν θεοῦ ποιεῖτε. Pertinet huc etiam phrasis מלכות שמים regnum Dei, βασιλεία τῶν οὐρανῶν, & sexcentae adhuc aliae, nemini non notae. Ad extremum nota, *coelum terramque*, siue Deum hominesque, tanquam testes omni exceptione maiores ab Iesaia compellatos; adeoque immane quantum discrepare hanc adlocutionem ab isto Graecorum prouerbio:

Πεφιλοσόφηκας, γῆ καὶ οὐρανῷ λαλῶν,
οἷς οὐδέν ἐστιν ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγων.

quod de inutili atque irrito conatu dici solet.

II. EPIST. AD CORINTH. V. 1.

Τε σκήνες.

Corporis.

NVnc tempus est patrandi, quod in nostris ad *Basilium M.* de legendis gentilium libris adnotationibus promissum fecimus, varias scilicet *corporis* adpellationes metaphoricas, in Graecorum lingua obnias, edisserendi. Primum se offert σκῆνος, quod & heic σῶμα notat, & ab *Hesychio* sic exponitur, & in *Platonis* Axiocho post initium eo sensu recurrit. Verba ex illo Veritatis arcano (ita Platonem vocat *Macrobius*) haec sunt pag. 648. Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἐσμὲν ψυχὴ, ζῶον ἀθάνατον, ἐν θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ τὸ δὲ σκῆνος, πρὸς κακῶ περιήρμοσεν ἡ φύσις. *Nos enim anima sumus, animal immortale, mortali incluſum munimento: corpus autem damno nobis circumdedit natura.* Liber Sapientiae IX. 15. φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα. *Corruptibile enim corpus ladgrauat animam, & terreſtre corpuſeuun deprimit ſe nſum multa curantem.* Inſcriptio

scriptio vetus apud *Sponium* itiner. tom. 2. pag. 81. versionis German.

ΣΚΗΝΟΣ ΜΕΝ ΓΕΝΕΘΡΕΣ ΕΠΕΙ ΓΕΡΑΣ
ΕΣΤΙ ΘΑΝΟΥΣΙ
ΤΕΙΜΟΝΤΕΣ ΚΑΙΕΣΚΟΝ ΑΝΑΙΣΘΗΤΟΝ ΠΕ-
ΡΙ ΤΥΜΒΟΝ

Corpus hoc meum parentes, eo quod honore mortuos prosequi receptum sit, honorarunt & ipsi, propter tumulum, sensus omnis expertem, lacrimas effundentes. In vita Plotini, a *Porphyrio* descripta, cap. XXII. canit Apollo:

Νῦν δ' ὅτε δὴ σκήνῳ μὲν ἐλύσαο, σῆμα δ' ἔλειψας
Ψυχῆς δαιμονίης, μεθ' ὁμήγυριν ἔρχεαι ἤδη
Δαιμονίην, ἑταροῖσιν ἀναπνεύσασαν ἀήτας.

At nunc ubi solutus involucro es, & signum deseruisti animae genialis, ad concilium contendis geniale, quod amoenis interspirat auris. Ita quidem *Ficinus*, qui rectius ad mentem Platonicorum, quam optime callebat, σκήνῳ reddere poterat *corpus*, & σῆμα *loculum* vel *sepulcrum*. Etenim σῆμα quoque, id est *capulus* de corpore dicitur. *Plato* in Gorgia p. m. 320. τὸ μὲν σῶμα ἔστιν ἡμῶν σῆμα. Similia ex eiusdem Cratylo profert *Clemens Alex.* Strom.

lib. III. p. 433. nec non ex Philolao Pythagorico, sic loquente: Μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις, ὡς διά τινας τιμωρίας ἄψυχα τῷ σώματι συνέζευκται, καὶ καθάπερ ἐν σώματι τύτῳ τέθαπται. Sic est in editione Colonienſi 1688. qua vtor, ſine omni ſenſu. Reſcribendum vero ἀψυχὰ pro ἄψυχα, atque σάματι pro σώματι. Recte enim verſio ibidem addita: *Teſtantur autem veteres quoque Theologi & vates, ad luenda ſupplicia animam coniunctam eſſe corpori, & in eo tanquam in aliquo monumento eſſe ſepultam.* Solui dicitur ex illo σήματι, cuius anima e corpore migrat, vt ex *Porphyrii* recitato patet loco, in quo eſt λύειν. Apoſtolus καταλύειν heic adhibet, ἀπολύειν Simeon ille defectus annis & deſertus viribus, apud Lucam II. 29. Alligatum corpori animum exiſtimabant eoque *vinculis* corporeis ſolui pronunciabant, qui ad meliorem promouebantur vitam. *Terreno carcere reſolui* ait *Boethius* conſol. Philoſ. lib. 2. proſa 7. Oraculum Apollonis paulo ante laudata verba:

- - - - ὅτ' ἐλύσαο δεσμὸν ἀνάγκης
Ἀνδρομέης - - -

ſolutus

solutus quum fueris vinculo necessitatis humanae. Rursum cap. XXIII. expositurus diuini responsi mentem *Porphyrius*, dixisse scribit de Plotino, cum μετὰ τὸ λυθῆναι ἐκ τοῦ σώματος ἐλθεῖν εἰς τὴν δαιμονίαν ὁμήγυριν, *simul ac corpore solutus fuerit, ad beatissimarum animarum conuentum peruenisse.* Ὁμήγυριν δαιμονίαν vocat gentilis, quod epistolae ad Ebraeos auctor cap. XII. 23. πανήγυριν καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων. Praeterea, ἅδης, *infernus*, ἄχθος, *onus*, aliisque adhuc nominibus venit corpus in *Anthologia* lib. I. 37.

Σῶμα πάθος ψυχῆς, ἅδης, μοῖρ', ἄχθος, ἀνάγκη,
Καὶ δῆμος κρατερὸς, καὶ κόλασις βασάνων.
Ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος, ὡς ἀπὸ δεσμῶν
Τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Vertente *Io. Bergio*:

Carcer & infernus, tum luctus tristeque pondus
Est animo corpus, quum dominatur ei.
Hoc laxatus enim saeuae ceu carcere mortis,
Peruolat ad sedem candidus ipse Deûm.

De corpore humano, cui veluti *carceri* mens incluſa, multa apud *Senecam* in epiſtolis, & alibi, *Platonem* paſſim, *Lactantium* de opif. Dei cap. 16. & 20. aliosque. Confer, ſi placet, quae nos ad *Baſilium* notauimus. Corpus animae *indumentum* eſſe crediderunt Brachmanes, vnde nudi vitam tranſegerunt. Teſtis eſt auctor φιλοσοφουμένων, qui *Origenis* nomen mentitur, cap. XXIV. Διαβιβάσι δὲ, inquit, γυμνοὶ, τὸ σῶμα ἔνδυμα τῇ ψυχῇ ὑπὸ τοῦ θεοῦ γεγονέναι λέγοντες. Lege eruditas viri clariſſimi *I. C. Volſii* amici noſtri, notas. Atque hinc illuſtrari etiam poſſunt, quae commate 2. 3. & 4. tam de nuditate quam de veſte induenda ſacer commemorauit ſcriptor, & quae in priore ad Corinth. XV, 53. exarauit. Mitto alia. Et quis in his anguſtiis omnia de omnibus?

CANT. V. 2.

קול דודי דופק פתחי לי אחתי רעיתי
יונתי תמתי שראשי נמלא טל
קוצותי רסיסי לילה:

Vox

Vox amici mei pulsantis: aperi mihi soror mea, columba mea, integra mea, quia caput meum plenum est rore, capilli mei guttis nocturnis.

MOris antiqui fuisse, vt amatarum ianuas vel vino & vnguentis perfuderint, vel coronis exornarint, vel oscula illis fixerint iuuenes, qui interea fores aperientem Phyllida anxie praestolabantur, monumenta docent veterum, a *Sagittario* collecta libro de Ianuis cap. XXX. Et heic exemplum habemus sponsi, intromitti desiderantis, addita graui caussa, quod madidum ex rore guttisque nocturnis retulerit caput. Fallor, an huc pertinent illa suauissimi *Anacreontis* ex ode III.

Τίς, ἔφην, θύρας ἀράσσει;
Κατά μευ φίσεις ὀνείρους.
Ὁ δ' ἔρως, Ἄνοιγε, φησὶ,
Βρέφος εἰμὶ, μὴ φόβησαι.
Βρέχομαι δὲ, κἀστέλεχον
Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι.

Quis, inquiebam, fores pulsat? Turbabis vtique somnia mihi. At Amor, aperi, inquit, puerulus sum, ne metuas. Pluuia vero madeo, illunemque per noctem oberraui.

rauì. Fas vtique erat, iniurias noctis perpeſſum non excludere. *Ros* לט in textu minime notat id, per quod incrementa ſentit genus humanum, vti quidem *Grotius* ad Pſal. CX. 3. & ex eo, quantumuis non nominato, *Kippingius* Antiquitatum Roman. lib. I. cap. 1. §. 17. pag. 30. voluit. Imo vero eſt

Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus.

ceu auctor *Peruigilii Veneris* deſcripſit.

EPIST. AD EBR. XII. 1.

Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα.

Onus deponentes omne.

AD curſores, publica artis ſpecimina nudatis corporibus in ſtadio edituros, alludere Apoſtolum dubitare nos ipſe non permittit, addens δι ὑπομονῆς τρέχωμεν. Contra qui ſentiunt, nihil ſentiunt. Athletarum ſane corpus ſaginatum, curſui minime aptum, procul hinc eſſe, & merito quidem, iuſſit *Cornelius Adami* obſeruatt. Theologico-Philolog. pag. 388. ſeqq. qui dum per *oneris depoſitionem* tam ſuperbiae ob

ob propriam iustitiam, quam vitae huius dignitatem, diuitiarum, priuilegiorum, immunitatum, Iudaismo annexorum, deiectionem intelligit, plane nos habet consentientes. Adiiciemus! nihilominus iis, quae magno numero adduxit vir clarissimus, testimoniis vnum alterumue, geminum vocabuli ὄγκος vsum confirmans. *Superbiam* illud notat apud *Isocratem* ad Demonic. p. 8. vbi ὄγκος ὑπεροπτικὸς. Et translate de oratione adhibitum, eius declarat sublimitatem; quomodo λέξεως ὄγκος in *Plutarcho* de audiendis Poetis cap. V. & VI. in *Aristotelis* rhetoricis, in anonymi compendio Rhetoricae per *Io. Schefferum* luci donato, in *Dionysio Halicarnassensi*, ceterisque huius disciplinae scriptoribus deprehenditur. De *humanarum rerum splendore, fastigio*, & quidquid eo pertinet, saepius occurrit. τῆς δυναστείας ὄγκον nominat *Agapeti* regia scheda num. XXXIII. & τῆς ἐξουσίας ὄγκον num. LII. πραγμάτων ὄγκον *molem negotiorum*, nempe ad imperium spectantium, *Zosimus* IV. 4. pag. 349. *Plutarchus* libello dicto capite penultimo, ὄγκον τῆς ἀρχῆς *Zosimus* I. 12. p. 22. iterumque III. 36. p. 342. Qua occasione Pallas in me-

moriam nobis venit, quae ὀγκαῖα vocabatur, vt *Pindari Scholiastes* vult ad Olymp. od. 2. ὄγσα, vt *Hesychius*, ὄγκα, vt *Stephanus Byzantius* de vrbibus voce ὀγκαῖαι, idque κατὰ Φοίνικας, prout posterior ait, consentiente & *Pindari* & *Aeschyli* scholiasta ad ἐπὶ ἑπτὰ Θήβας. Diuersas in partes eruditi scinduntur quoad hanc orientis vocem. *Kippingius* in Antiquitt. Roman. pag. 22. ab ענק notissima illa gigantum familia deducit; *Reinesius* in addendis ad ἰσορέμενα linguae Punicae num. 4. ab הגה *meditari*, eo quod artes, quibus Minerua praeest, meditatione acquirantur; *Seldenus* de Diis Syris Syntagm. II. cap. 4. pag. 295. ex אנקה *clamor, gemitus, planctus*, nulla addita causa, denique *Bochartus* Geograph. Sacr. lib. 2. pag. 827. ex אגה *pugnare, praeliari*, quia bellorum praeses existat. Forte luserunt operam omnes. Incertum quippe est, verene sit vox Phoenicia? *Scholiastes* profecto *Aeschyli*, quamuis id adfirmet, mox tamen Aegyptiam, sui immemor, adpellat. Quare & *Nonnus* in Dionysiacis Lib. V. & *Ligorius* apud *Holstenium* ad Stephani ἔθνικὰ pag. 230. ex Graecia istud nominis accersunt. Nostrum non est

tantas

tantas componere lites; aperiendum tamen, quid coniecerimus. Si ex Phoenicum lingua repeti debet ὄγκα vel ὄγκα, forsan eius origo latet in חָגָא *pauor*, *trepidatio*, Ies. XIX. 17. Metum quippe iniicit illud Numen intuentibus, diciturque *Minerua* a *minando*, sicut nonnulli censent. Res ipsa satis nota. Sin ex Graeco fonte educenda adpellatio, equidem non dubitauerim, quin ὄγκα fuerit dicta, siue rectius ὄγκος, quia ex Iouis cerebro nata. Etenim grauidarum insana ventris moles ὄγκος audit *Luciano* dial. Neptuni & Mercurii T. I. pag. 201. vbi Deorum patrem peperisse Pallada miratur Mercurius, quum tamen venter ipsius οὐκ ἐπεσήμαινεν ὄγκον τινά, *intus latere molem aliquam nunquam designauerit*. Pariter *Phaedrus* foetum *onus naturae* vocat, lib. I. fab. 18. iterum *onus* & *sarcinam* III. 15. Atque hoc pacto ὄγκα congrueret cum alio nomine orientali, חגה cuius nonnisi pluralis חגוים *fissurae* legitur in sacro codice. Vere enim ex Iouis capite, securi *diffisso*, prodiit ὁ ὄγκος, capitis illud *onus*, armata puella, ἡ ὄγκα, *Minerua*. At nos istud onus in praesentia deponemus. Vos interea, qui & verborum estis pensitatores

res ſubtiliſſimi, & rerum arcanarum indagatores feliciſſimi, facite, fingite, inuenite, efficite. Veſtrum eſto non ex ligno Mercurium, ſed ex *mole* qualis demum cunque fuerit, ex ὄγκῳ vel ὄγγᾳ, ὄγκᾳ, ὀγκαίᾳ formare Mineruam. Mihi poſthac illud Deae nomen nullum exhibebit negotium.

HOSEAE XIV. 3.

פרים שפתינו:

Iuuencos labiorum noſtrorum.

EPIST. AD EBRAEOS XIII. 15.

Καρπὸν χειλέων.

Fructum labiorum.

NAm hi duo loci mutuo ſeſe reſpicere creduntur a viris doctis, multum in eo ſudantibus, quomodo hunc cum illo apte componere poſſint. Impoſſibile id videtur quibusdam, niſi conſona deleta mutatisque punctis legatur פרי שפתינו aut cum celebri aetatis noſtrae Philologo aeque ac Theologo reſcribatur פִּרְיָם Ego vero nulla textum

textum indigere medicina prorsus mihi persuasum habeo, quum probari nequeat, aut Hoseam ex Paulo, aut hunc ex illo esse exponendum. Neque enim in simili versantur materia, neque vllum adest indicium, vnde auctorem epistolae ad Ebraeos oraculum Hoseanum in animo habuisse liquido constet. Sola profecto phrasis καρπὸς χειλέων nondum euincit, quod viri boni vellent, siquidem illa & in Prouerbiis recurrit Cap. XXXI. 31. Δότε αὐτῇ ἀπὸ καρπῶν χειλέων αὐτῆς. Estque similis Ebraica Iesaiae LVII. 19. נוב שפתים *prouentus labiorum.* Quae verba si translata comparerent in septuagintauirali editione, quis dubitet, per καρπὸν χειλέων fuisse reddita? At nunc ea desideramus. Mea est coniectura, vsitatum fuisse dicendi genus καρπὸς χειλέων, & stilo inprimis Hellenistarum congruens, ita vt nec Hoseae, nec Dauidis, nec Iesaiae etiam locum exprimere debuerit volueritque diuinus in N. T. scriptor, liberrime, sine vllo ad antiquiorum aliquem respectu, tritissima locutione *verba* circumloquens *fructum labiorum.* Idque satis eleganter; nec multum dissimili venustate carmina Diis, tanquam libamina quaedam

dam offerri dicuntur. Vnde apud *Lucianum* in Demosthenis encomio, statim ab initio, τοῖς Ὁμήρε γενεθλίοις, ἀπάρξασθαι τῆς ποιητικῆς, *Homeri natali die poemata veluti primitias offerre*; atque Linus poeta ἐτιμᾶτο ὑπὸ τῶν ποιητῶν θρηνώδεσιν ἀπαρχαῖς, *lugubribus carminibus veluti primitiis quibusdam ab aliis honorabatur poetis*, teste *Eustathio* ad Iliad. Σ. pag. 1163. edit. Romanae. Tria adhuc verba de verbis Hoseae. Sunt qui existimant, id velle Vatem: loco iuuencorum offeremus labia, hoc est, laudem confessionemque, vel vt elegantissima verba *R. Lipmanni* ex disputatione aduersus Petrum (Galatinum, quod opinor, & demonstrabo olim) annexa ipsius Nizzachon pag. 191. huc accommodem: יהיו אמרי שפתינו שילומים תמורת שלמים הודאה תמורת תורה שבח תמורת זבח *Erunt verba labiorum nostrorum retributiones loco pacificatoriorum, & gratiarum actio loco eucharisticorum, denique laus loco sacrificiorum* reliquorum. Atqui si huc rediret oratio sacra, aliter prorsus dicendum fuisset, hoc nimirum modo: ונשלמה שפתינו (תמורת vel תחת) הפרים Quibusdam nimis durum videtur *iuuencos labiorum* nominari. Immo fateor, satis esset

esset illepidum, si ita intelligendus foret Prophetes, vt faciunt interpretes, essetque insuper in his verbis Grammaticale peccatum, vtpote quae in statu, quem vocant constructo, fuissent enuntianda. Deesse aliquid arbitror, quod vbi subaudieris, illico sermonis filum euadet integrum. Posthac vertas licet: *Tunc rependemus iuuencos labiis nostris* promissos. Etenim in hoc exsilio nostro sacrificia tibi nulla, Deus optime maxime, offerre possumus: facturos autem nos pollicemur, simulac pristino nos reddere flori placitum fuerit tibi. Regulam dant Philologi: omissa vocabula ex plenioribus loquendi formulis, alibi obuiis, restituenda esse. Huc itaque aduocabimus hymnum LXVI. 14. in quo plena locutio אשר פצו שפתי *quae aperuerunt labia mea*, id est, *aperta vouerunt*, (vno verbo duorum loco adhibito) deprehenditur. Quare in nostro textu defectum sic impleo: ונשלמה פרים אשר פצו שפתינו Quod non insuaui elegantia dictum, si quis aurem habeat non sordidam nec proculcatam.

APOC.

APOCAL. I. 14.

οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός.

Oculi eius tanquam flamma ignis.

NIhil mundius, venustius, limatius, pressius, reperiri potest, quantum iudicare valeo, descriptione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, quam sanctus heic dedit Ioannes, diuinitatis indicia clarissima referente. Numinis aduenientis signa compluria *Iamblichus* exposuit de mysteriis sect. II. cap. 3. & seq. ex quo aliisque plenius hoc negotium tradidit *Christianus Henricus Postel*, in doctis ad Homericae Iliados α particulam animaduersionibus, vernaculo sermone conscriptis. Neuter praesentis notae meminit, licet ei similem, oculos nempe immobiles, tanquam diuinae imaginis characterem, veterum auctoritate constituerit *Postelus* pag. 290. At non praetermittendi erant oculi ignei, quales diuae Philosophiae suae tribuit *Boethius* consolationis libro I. prosa prima, quippe quam *reuerendo admodum vultu, oculis ARDEN-*

DENTIBVS, & vltra communem hominum valentiam perspicacibus, adstitisse sibi fidem facit. S. Martinum episcopum per quietem vidit *Sulpicius Seuerus, praetextum toga candida, vultu igneo, STELLANTIBVS oculis*, ceu ipsus narrat epist. secunda post initium, pag. 365. Straton ille CardianiF. cuius iam supra protulimus epigramma ineditum, in alio, quod pariter lucem nondum vidit, & quod amicae manus VFFENBACHIANAE itidem subministrarunt, tam edocenter, tamque ad institutum explanate hanc rem proponit, vt qui dubitare adhuc voluerit, nae is suam peritiam aperuerit. Eius hi sunt versus:

Ὀφθαλμὸς σπινθῆρας ἔχεις, θεόμορφε Λυκῖνε,
Μᾶλλον δ' ἀκτῖνας δέσποτα πυρσοβόλας.
Ἀντοπὸς βλέψαι βαιὸν χρόνον ἐ δύναμαί σοι.
Οὕτως ἀιπράπτεις ὄμμασιν ἀμφοτέροις.
Καιρὸν γνῶθι σοφῶν τῶν ἐπτά ἰις εἶπε, Φίλιππε.
Πάντα γὰρ ἀκμάζοντ' ἐσὶν ἐραστότερα.
Καὶ σικυὸς κήποισιν ἐπ' ἐνύδροισιν ὀραθεὶς
Τίμιος, εἶτα συῶν βρῶμα πεπαυόμενος.

Oculi tui scintillae sunt, Deo similis Luciane; immo vero radii sunt, domine, ignem eiaculantes. Aduersis te oculis vel ad breue tempus intueri nequeo: adeo ra-

dias oculo vtroque. Tempus noſce, aliquis ſeptem dixerat ſapientum, Philippe; etenim gratiſſima exiſtunt omnia, quae in ipſo vigore poſita ſunt. Et cucumis in hortis irriguis conſpicuus aeſtimatur, porcorum tamen cibus idem ſit, vbi ad extremam maturitatem peruenerit. Aſpice heic Lucianum, quisquis ille fuerit, propter oculorum lucem adpellatum Φεόμορφον. Sane in viris etiam principibus, Deo proximis, fulgentes ſiue ignei oculi nullo non tempore commendati. De Auguſto *Suetonius* cap. LXXIX. ita: *Habuit oculos claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam DIVINI vigoris, gaudebatque ſi quis ſibi acrius contuenti, quaſi ad FVLGOREM SOLIS vultum ſubmitteret.* Eiusdem imperatoris *fulmen oculorum*, & *clariſſimorum ſiderum aciem* nominat *Aurelius Victor* initio epitomes Alexandrum Seuerum humani generis principem eſſe, praeter alia documenta, ex *nimio* etiam *ARDORE oculorum & diutius intuentibus graui*, conſtitiſſe tradit *Aelius Lampridius*. Sed & feminis laudi ſunt ſummae eiusmodi lumina. *Anacreon* profecto ode XXVIII. aliter non vult pingi a pictore

ctore amicam ſuam, quam oculis igneis.

Τὸ δὲ ΒΛΕΜΜΑ νῦν ἀληθῶς
Ἀπὸ τοῦ ΠΥΡΟΣ ποίησον.
Ἄμα γλαυκὸν, ὡς Ἀθήνης,
Ἄμα δ' ὑγρὸν, ὡς Κυθήρης.

Quae *Frid. Taubmannus* Carminum pag. 489. hiſce Latinis Anacreonticis extulit:

At ignis inſtar eius
Sit fulgurans ocellus:
Et glaucus, vt Mineruae.
Et paetus, vt Cytheres.

Plura eram congeſturus exempla; ſed quia & anguſto temporis limite ſeptus ſum, & aurem vellicat Dauid, eius nunc locum conſideremus.

PSAL. XCVII. 2.

ענן וערפל סביביו׃

Nubes atque caligo circa ipſum.

LVcem eſſe maieſtatis diuinae adparentis indicium clariſſimum, ex Iudaeorum libris monſtrauit *Buxtorfius* hiſtoria arcae foederis cap. XIII. ex Graecorum Romanorumque

rumque antea laudatus *Postel* pag. 283. seq. Verus tamen Israelis Deus in caligine nonnunquam comparuit, cui saepe lux iuncta. Et nubis columna & ignis duxerat palantibus in desertis locorum Israelitis. Eulgura inter ac tonitrua simul vero nubes fumosque data lex. Nimirum, Deus O. M. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, lux est splendidissima, cuius adspectum quia nemo sustinere potest, nube inuoluitur, vt tantum splendorem commodius hominum oculi ferant. Atque hinc factum, vt in sola caligine conspiciendum se praebuerit venerabile numen. Coelo descendit nube tectum, coramque Mose transiit, Exod. XXXIV. 5. Arca foederis in sanctissimum delata locum, nubes repleuit templum, ipseque Deus אמר לשכן בערפל *in caligine habitaturum* se pronunciauit, 1. Reg. VIII. 10. 11. 12. conf. Leuit. XIV. 2. Aedem sanctam fumus tunc expleuit, quum in ea visendum sese dedisset Iesaiae Cap. VI. 4. atque Ezechieli, Cap. X. 34. Mitto nunc alia. Tenebrae nihilominus istae luculentissimum gratiae diuinae ac praesentiae signum, quod non tacendum fuisset *Postelo*, quum eius quoque vestigia gentiles suppeditent. *Orpheus* περὶ θεοῦ:

Αὐτὸν

Αὐτὸν δ' οὐχ ὁράω. περὶ γὰρ νέφος ἐσπέλυται
Λοιπὸν ἐμοί. - - -

Namque ipsum per se haud video, quod
densa tuentem
Impediat nubes.

Quem vetustissimi vatis locum sic, vti adscripsimus, recitat *Eusebius* praeparat. XIII. 12. pag. 665. prior etiam versus in *Iustini* martyris paraen. pag. 15. legitur. Apollo apud *Homerum* Il. A. 47. Ἦλθε νυκτὶ ἐοικώς, *venit nocti similis*, rectus quippe caligine. Caligine dico, cui aliquid inesse diuini, & designare maiestatem, atque contemplantibus admirationem aeque ac venerationem incutere, crediderunt antiqui. Quare templa eorum luce fenestrisque caruisse, bene obseruauit *Sponius* itiner. tomo 2. pag. 30. Etiam in sacra aede a Salomone condita, fenestrae erant שקופים אטומים 1. Reg. VI. 4. *apertae & clausae*, hoc est, extrinsecus latae, intrinsecus arctae, vt recte intelligunt Rabbinorum plerique, *Dauid Kimchi* scilicet, *Raschi* ac *Ralbag* ad locum, nec non *R. Iac. Iehuda Leo* in descript. templi Hieros. Lib. II. num. 213. itemque *R. Simeon* in Pera part. 2. fol. 28. col. 4. Verum hac de re fuse lateque dico in notis ad *Th.*

Gooduinum; non illis, quas in quibusdam Academiis meo sub nomine circumferri audio, ex ore quidem meo exceptis, at mentem non referentibus. Atque hoc breue ex antiquitate libamentum dediſſe nunc ſatis erit.

ACTOR II. 3.

Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν.

Viſae ſunt ab ipſis linguae diuiſae, tanquam ignis, ſeditque ſupra vnumquemque eorum.

CAue interpreteris: *viſae ſunt ſuper eos*, aut, *in ipſis*. Etenim *ab ipſis* reddendum eſſe tam conſtructio vult, quam locorum omnium noui teſtamenti conſenſus, vbi verbum ὄπτομαι tertio caſui iunctum exponi ſemper debet per Latinorum ablatiuum, addita praepoſitione *a* vel *ab*. *Viderunt* itaque *diuiſas ſuas linguas quaſi ignis* linguas Apoſtoli, non ſpectatores, vtpote quos non praeſto ſtatim fuiſſe, ſed aliquando poſt demum acceſſiſſe ex com. 6. conſtat.

constat. Additum est ἐκάθιτο. Quis ille? Vtiq; nemo alius quam Spiritus sanctissimus, cuius mentio fit statim commate seq. Cuiusmodi ellipseos, ex subsequente membro complendae, exempla compluria, praeter hoc nostrum, adfert diligentissimus *Glassius*. Diuinae κατακωχῆς *obsessionis*, & sacri enthusiasmi speciem esse, quando quis *spiritum* seu Numen demissum concipit, praeuio *igne*, perquam egregio testimonio *Iamblichus* confirmat de mysteriis sect. III. cap. 6. Τὸ δὲ μέγιστον, ΟΡΑΤΑΙ τῷ θεαγωγῶντι τὸ κατιὸν ΠΝΕΥΜΑ καὶ εἰσκρινόμενον, ὅσον τέ ἐστι καὶ ὁποῖον, μυστικῶς τε πείθεται & διακύβερνᾶται. ΟΡΑΤΑΙ δὲ τῷ δεχομένῳ τὸ τῦ ΠΥΡΟΣ εἶδος πρὸ τῦ δέχεσθαι. *Thomas Galeus* ita in Latinam mutauit linguam: *Quod autem longe maximum est, is qui deducit numen aliquando videt spiritum descendentem insinuantemque se, & quantus sit & qualis, atque ab eo mystice docetur & regitur. Qui autem numen concipit, ante susceptionem videt quandam ignis speciem.* Paulo post scribit in aduentu numinis ΠΥΡΟΣ καὶ φωτός τι εἶδος ἄῤῥητον ἔξωθεν ἐπιβαίνειν τῷ κατεχομένῳ, *ignis luminisque quandam speciem extrinsecus occupato incumbere*; mox denuo memo-

 ratur,

ratur ὁ καταδεχόμενος τὸ θεῖον ΠΥΡ, *diuinum ignem suscipiens.* In hoc loco ὁρᾶλαι τῷ θεαγωγέντι, item ὁρᾶται τῷ δεχομένῳ dicitur, quod in nostro ὠφθησαν τοῖς ἀποστόλοις αἱ γλῶσσαι. Vtrobique etiam πνεύματος ac πυρὸς iniicitur mentio, & huius quidem ter in Philosopho Platonico.

IESAIAE XLII. 2.

לא יצעק ולא ישא׃

Non clamabit, neque attollet

vocem suam.

REcte omnino existimant, qui animum mansuetum, placidum, beneuolum, ab omnique irae aestu longissime remotum intelligunt. Virtus enim haec est lausque doctoris. Demonactem profecto suum ita descripsit *Lucianus* T. I. pag. 859. Οὐδεπώποτε ὤφθη ΚΕΚΡΑΓΩΣ ἢ ὑπερδιατεινόμενος, ἢ ἀγανακτῶν, ἐδ' ἐπὶ ἐπιτιμᾷν τῷ δέοι. *Nunquam visus est vociferans, aut supra modum contendens, aut indignans, ne tum quidem, quando aliquis ab eo esset increpandus.* Perquam

quam egregie conueniunt ista cum nostris. Quemadmodum enim in origine Ebraica pyx & נשג nempe קולי quod e vestigio sequitur, sic in Matthaeo XII. 19. ἐρίζειν atque κραυγάζειν, ac in *Luciano* pariter κραυγάζειν & ὑπερδιαλέγεσθαι copulantur. Posterius vocabulum grauiter commotum denotat, vtiturque illo iterum in Hermotimo pag. 523. Οἱ ἡγεμόνες ὑπερδιατεινάμενοι, καὶ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστοι ἐπαινοῦντες. *Duces summa peruicacia contendentes, & sua singuli laudantes.* Idem in Eunucho post initium, vbi similiter κράζειν ei iungit: ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν κατεσκέδασαν ἀλλήλων, κεκραγότες καὶ ὑπερδιατεινόμενοι. *Plaustra conuiciorum aduersus se inuicem effuderunt, vociferantes, miraque peruicacia contendentes.* Nec non in Icaromenippo T. II. pag. 190. ὑπερδιατείνεσθαι καὶ μηδεμίαν τοῖς ἄλλοις ὑπερβολὴν ἀπολιμπάνειν, *vehementissime contendere, neque vllum vincendi locum aliis relinquere.* Loquitur vero de Philosophis, placita sua maximo cum strepitu, tanquam vera, obtrudentibus. Hic enim mos eorum temporibus fuit antiquis, vt passim ex eodem liquet, inprimis ex Bis accusato pag. 220. Λιχάω γε αὐλῶν ΚΕΚΡΑΓΟΤΩΝ, καὶ ἀρετήν τινα, ἢ

ἰδέας, & φύσιν καὶ ἀσώματα διεξιόντων. *Audio illos philosophos clamantes, & virtutem nescio quam, & ideas, & naturam, & incorporea commemorantes.* Mox ait, quod, ὑπερδιαλεινομένων καὶ μεγάλα λέγειν ἐθελόντων, τό, τε πρόσωπον ἐρυθρὸν, κλ. *dum vehementius intendant, magnaque loqui velint, & facies illis rubescat*, &c. Denique addit: ἔτ' κρατεῖν ἔδοξεν, ὃς ἂν μεγαλοφωνότερος αὐτῶν ἢ θρασύτερος. *Is victoriam obtinet, qui clamosior est & confidentior ceteris.* Consule insuper eiusdem praecepta Rhetorum pag. 316. seq. & Fugitiuos pag. 597. f. vbi similia. Secus se habent in viro bono omnia, quem Demonactis philosophi exemplo his porro maxime conspiciendis describit verbis: Ἀλλὰ τῶν μὲν ἁμαρτημάτων, καθήπτετο, τοῖς δὲ ἁμαρτάνουσι, συνεγίνωσκε, & τὸ παράδειγμα παρὰ τῶν ἰατρῶν ἠξίου λαμβάνειν, τὰ μὲν νοσήματα ἰωμένων, ὀργῇ δὲ πρὸς τοὺς νοσοῦντας οὐ χρωμένων. Ἡγεῖτο γὰρ ἀνθρώπου μὲν εἶναι τὸ ἁμαρτάνειν, θεοῦ δὲ, ἢ ἀνδρὸς ἰσοθέου, τὰ πταισθέντα ἐπανορθοῦν. *Ipsa quidem peccata castigabat, peccatoribus autem ignoscebat, sumto a Medicis exemplo, morbos equidem curantibus, in aegrotos vero minime saeuientibus. Ita enim existimabat: hominis esse peccare, sed*

sed Dei, aut viri Deo aequalis, errata corrigere. Atque haec qui praestat, is demum πρᾶος καὶ ἥμερος est, *mitis ac mansuetus*, prout eundem adpellat Demonactem pag. 860. Non potest, opinor, adferri ex scriptore profano locus, qui sacrum nostrum illustret aptius, quam hic Luciani Iesaiae Matthaeiue oraculum. Et multo haec augustius de humani generis redemtore dicuntur, quam de vllo ex eorum ordine, quibus barba est amplissima, boni ponderis, & philosophicae densitatis, vt cum *Arnobio* loquar.

II. EPIST. AD CORINTH. XII. 7.

Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ.

Datus est mihi palus carni infixus, angelus satan, vt me colaphis caedat.

NOn erat haec σκιαμαχία, aut ad parietem pugna vel ad palum, quem ξύλινον ἀνταγωνιστὴν, *ligneum aduersarium*, facete nuncupat *Lucianus* in Demonacte T. I. pag.

I. pag. 867. Vere sentiebat Paulus sibi infixum σκόλοπα, hoc est, sudem, palum praeacutum, ὀξὺ ξύλον, vt *Scholiasta Luciani* interpretatur ad tom. 1. p. 24. & ad tom. 2. p. 34. spiculum, telum, aculeos, quomodo *Plinium* explicasse σκόλοπας *Dioscoridis*, dudum adnotarunt viri docti. Quidnam vero est illud, quod suum vocat σκόλοπα Apostolus? Num aduersa valetudo, nominatimque capitis dolores? Vix simile vero. Num aduersarii, Alexander, Hymenaeus, Philetus? Incertum. Num libidinis ardor? Ita sane statuerunt quidam, nec tam sine ratione, vt multi opinantur. Forsan enim respexit vir sanctissimus ad יצר הרע fomitem peccati originis, vnde & Veneris stimuli oriuntur, quem tam *Satanam* quam *Angelum mortis* adpellant Iudaei, obseruante *Iulio Bartoloccio* bibliothecae magnae Rabbin. P. II. pag. 46. VFFENBACHIVS meus, vir totus ex sapientia, vrbanitate, virtutibus, &, si addere licet, beneuolentia aduersum nos factus, manu scriptum codicem Rabbinicum adseruat (est is ordine sextus, librorum, vt vocant, in quarto) expositionem Paraschatum continentem, cuius auctor incertus ad sectionem

nem בלק tria habere nomina fomitem iſtum malum teſtatur: נקרא שטן מלאך המות ויצר הרע כאשר אמרו ז"ל: *Vocatur ſatanas, angelus mortis, atque figmentum malum, docentibus b. m. magiſtris noſtris.* At Paulum, iam proiectae aetatis hominem, ignes Venereos expertum, adfirmare fasne eſt? Procul dubio iam cruci adfixerat Cupidinem. Quare nil decernimus, ſed qua ſumus adhuc Pyrrhonica ἐποχῇ ἐπέχομεν. Si quid tamen adfirmandum eſſet, perſecutiones intelligerem, contumelias, probra, iniurias, ex com. 10. tentationes inſuper pauoresque animi ſupra quam humana fert conditio Paulum vehementiſſime κολαφίζοντες, hoc eſt *vexantes*, quo ſenſu id vocabuli ſumitur 1. Cor. IV. 11. 1. Petr. II. 20. De quibus etiam infirmitatibus merito gloriari poterat, com. 9. quum plura ſuſtinuerit, quam reliqui fere omnes, quod & profitetur ipſe 2. Cor. XI. 23. & praedictum fuerat ſtatim poſt conuerſionem, Actor. IX. 16. Quae calamitatum lerna non σκόλοψ modo appellatur, ſed & ἄγγελος σατᾶν, *Angelus aduerſarius.* Male enim reddunt plerique omnes *Angelus Satanae*, quod non admittit conſtructio, dicendumque tunc fuiſſet

ἄγγελος

ἄγγελος τῦ σατᾶν, eo quod articulus constantissime adiiciatur, quando de impurissimo spirituum sermo est. Atque sic tandem *aduersarii* quoque admitti possent, quippe quibus tam *angelorum resistentium*, quam *spiculorum* adpellatio bene conuenit, prout olim *Chrysostomo* visum, quem sequuntur *Casauboniana* pag. 82. *Lambert. Bos* in obseruationib. miscell. cap. XXIII. pag. 104. *Alex. Morus* ad h. l. atque plures, quos, quia schedulis fugitiuis animi sententiam consignarunt, prudens omitto,

---

IVDIC. I. 7.

שבעים מלכים בהנות ידיהם ורגליהם
מקצצם היו מלקטים תחת שלחני׃

Septuaginta reges, quibus manuum pedumque pollices erant incisi, collegerunt decidua *sub mensa mea.*

AVt nihil heic notant interpretes, aut oppido pauca: itaque fontes a nobis indicandi sunt, vnde haec lacuna supplerí

ri possit. Pollices manuum amputare hosti, crudele omnino est supplicium, quo nihilominus in Aeginetas animaduerterunt Athenienses, cum in finem, ἵνα δόρυ βαστάζειν μὴ δύνωνται, *ne hastam illi fere possint*, narrante *Aeliano* in miscellaneis historicis Lib. II. 9. grauiterque Athenienses eo nomine incusante. Vide ad scriptorem hunc Atticum viros doctos, maxime autem *Theodorum Zuingerum* in theatro vitae humanae, volumine decimo lib. 4. pag. 1623. seq. apud quem solum plura exempla antiqua, noua, quam apud omnes Aelianeos commentatores. Sed & pollicibus quidam semetipsos priuarunt, militiae detrectandae caussa, *Murci* propterea dicti. Veniat *Ammianus Marcellinus* in medium, testemque agat. Is non longe a fine libri XV. haec habet de Gallis: *Ad militandum omnis aetas aptissima; & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur, & adultus; gelu duratis artubus, & labore assiduo multa contemturus, & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi praecidit, quos localiter* Murcos *adpellant.* Hic adeundus *Henricus Valesius.*

sius. Quamobrem *pollice trunci* homines ad arma tractanda inepti sunt, qui si propria tales euaserint culpa, ignauiam vtique suam ostendunt. Atque hinc Gallicum *poltron* esse deducendum, egregiorum virorum coniectura fuit, sed quam reiicit originum Gallicarum Italicarumque callidissimus *Aegidius Menagius* in amoenitatibus iuris ciuilis cap. III. pag. 16. qui paulo etiam ante de *Murcis* non protrita congesserat. Minime contentus vna poena Adonibesek, quod captorum septuaginta regulorum pollices resecarit, alteram addidit, dum reliquias illos sub mensa sua colligere adegit. Quod vti insolentiam victoris intolerabilem clarissime monstrabat, ita victos nil nisi retrimenta quaedam & hominum sorte inferiores esse significare volebat. Confer *Vrsini* Analecta, ipso initio.

MATTH. I. 1,

Βίβλος γενέσεως.

Liber generationis.

SCio multos esse, qui γένεσιν hic ex Ebraeorum תולדה exponunt, quasi historia

ria *euentuum* omnium (id enim vox illa in V. T. aliquando denotat) Saluatoris noſtri proponeretur, non vero *originis hiſtoria*, primo hocce capite deſcripta, indicaretur Enimuero praeterquam quod ſignificatio iſta vocabuli *tholedah*, ex aliquibus etiam eorum, quae vulgo proferuntur locorum, Geneſeos puta II. 4. & V. 1. non modo non probari!, verum contraria etiam & vſitata *originis* notio euinci poſſit, eſſet inſuper Ebraiſmus in limine ipſo ſacrorum noui foederis librorum admittendus, quem vel ideo eliminandum cenſemus, quod & γενέσεως nomen probis idoneisque auctoribus *originem* declaret, & nulla neceſſitas, vt ad Ebraeos confugiamus, imperet. Satis enim commode haec inſcriptio ad primum Euangelii caput quadrat, neque extendenda eſt ad vniuerſam S. Matthaei hiſtoriam, idque variis ex rationibus, in *Guſſetii* commentario linguae Ebr. pag, 327. legendis. Itaque *originem* Chriſti deſcribere viſum fuit ſacro auctori, tabulis eum in finem productis, quarum fidem etſi nequam Iudaei infringere multis modis ſtuduerint, ſucceſſu tamen caruit labor omnis. Neque hoc tantum moliuntur, ſed & noua quaedam nomina infarciunt ge-

nealogiae sospitatoris optimi maximi, quae inter agmen ducit Pandera aliquis, siue Pandeira, siue Pantheres (tam varie enim infaustum nomen pingitur) quem Messiae nostri patrem fuisse nugantur. Eius rei quum ad locum nostrum meminerit *Alex. Morus*, vti ad Luc. III. 23. *Hugo Grotius*, ille quidem in destruenda, hic in stabilienda traditione falsissima occupatus, necesse est pauca adiiciamus ipsi. Pauca dico, quia totum fere negotium exhausit insignis *Vagenseilius* in confutatione libri *Toldos Ieschu* pag. 23. seqq. Veteres quidam ecclesiae antistites, Origines ex Celso, Epiphanius, & Ioannes Damascenus, omnes ex Iudaeorum procul dubio narrationibus Panderam nobis obtrudunt, ita tamen, vt ipsi inuicem in concordiam redigi nequeant, dum alii ex Pantheris stirpe sanctam Dei genetricem ortam tradunt, vt Damascenus; nonnulli ex milite Pandera grauidam eam factam calumniantur, quod Celsus & Iudaei volunt; quidam Iacobum, Ioseph patrem, Pantherem cognominatum adfirmant, quod *Epiphanio* placuit, neq; abludit *Vossius* dissert. de Geneal. Christi cap. 5. neq; *Grotius*, neque *Alex. Morus*. Est VFFENBACHIO meo MSC. codex Grae-

Graecus, continens λόγους διαφόρων ἁγίων πατέρων, interque hos *Epiphanium* περὶ τῆς βίου τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου. Quamuis vero *Epiphanii* nomen praeferat titulus; distinctius tamen beatissimae virginis prosapia illic exponitur, quam in Epiphanii haeresi LXXXVIII. factum est; eiusdem enim Patris oratio de laudibus Mariae virginis plane huc non pertinet, vtpote in qua genealogiam istam frustra quaesiueris. Immo *Damasceni* potius verba propemodum singula expressa ibi esse animaduerti, quod vt liquido constet omnibus, sequentia ex scripto illo volumine adpingimus, quae vt humanitas lectoris cum libro quarto fidei orthodoxae cap. XV. componat, rogamus.

Ἐκ τῆς σειρᾶς τοῦ Νάθαν, υἱοῦ Δαβὶδ, γεννᾶται Λευΐ· Λευὶ δὲ ἐγέννησε τὸν Μελχί, καὶ τὸν Πάνθηρα· Μελχὶ δὲ ἔλαβε γυναῖκα καὶ ἀπέθανεν ἄπαις· Ὁ Πάνθηρ δὲ ἐγέννησε τὸν Βαρπάνθηρα, ᾧ ὁ Βαρπάνθηρ ἐγέννησε τὸν Ἰωακειμ, τὸν πατέρα Μαρίας τῆς θεοτόκου. Ἐκ δὲ τῆς σειρᾶς Σολομῶντος, υἱοῦ Δαβὶδ, γεννᾶται Ματθάν. οὗτος γεννᾷ τὸν Ἰακώβ, τὸν πατέρα Μαρίας. Ἰωσὴφ δὲ ἀπέθανε, ᾧ ἔλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Μελχὶ ἀδελφὸς Πάνθηρ, ᾧ ἐγέννησε τὸν Ἡλί· ὁ μὲν οὖν Ἰακὼβ ἐκ τῆς φυλῆς ἦν τοῦ Σολομῶντος, ὁ δὲ Ἡλὶ ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Νάθαν. Λαμβάνει οὖν γυναῖκα ὁ Ἡλί, ᾧ ἀπέθανεν ἄπαις, καὶ ἔλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ὁ ὁμομήτριος, ᾧ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ. ὁ οὖν Ἰωσὴφ

φύσει μὲν ἦν υἱὸς τῦ Ἰακὼβ, κατὰ δὲ τὸν νόμον τῦ Ἡλί. Nunc referamus, quam ob cauſſam Panderae nomen impoſuerint Iudaei, ac reliqua impia turba, illi homini, quem cum ſanctiſſima Maria virgine contra ius fasque congreſſum, & ex quo concubitu humani generis redemtorem natum eſſe impuriſſimo ore effutiunt. *Vagenſeilius* pag. 31. ſeq. ob ferocitatem hominis id factum putat, quum πάνθηρ animal ſit crudeliſſimum. Etſi vero *panther* quispiam fortitudinis reſpectu & immanitatis vocari poſſit; re tamen ipſa ſic adpellatos olim nonnullos, nondum legi. Potius cum *leonibus* comparantur bellicoſi, teſte vel *ſcholiaſta Luciani* ad tomum I. pag. 44. Quare & ſtrenuiſſimos milites apud Moabitas cognomen tuliſſe אריאל *leonis Dei*, ſiue *eximii* (אל enim in ſancta lingua ſignificatum augere notiſſimum eſt) & ex 2. Sam. XXIII. 20. colligitur, & copioſe probauit *Bochartus* Hieroz. parte I. lib. 3. cap. 1. Hinc in heroum ſepulcris leonum ſimulacra poſita, docente vetere *Horatii* ſcholiaſta ad Epod. XVI. Nobis ratio cognominis iſtius non obſcure in ipſo ſpurciſſimo libro *Toldos Ieſchu* indicata videtur, dum in eius initio Pandera nuncupatur

patur homo, qui רוב ימיו בניאוף וזימה *maximam vitae partem cum adulteriis ceterisque nefandis libidinibus transegerit.* Paulo post pag. 4. רועה זונות audit, hoc est, *ganeo magnus*, vt *Vagensilius* interpretatur. Nimirum variis olim, qui Veneris sacra ex vtroque sexu sequebantur, quaestumque inde faciebant, vocitabantur cognominibus. Is contra quem *Lucianus* conscripsit Pseudologistam, & Rododaphne, & Sepes, & Angina vocabatur, vir muliere corruptior, vt liquet ex tomo II. pag. 446. Lais, nobile scortum, Ἀξίνη dicebatur, siue securis, διὰ τὴν τῆ ἤθες ἀγριότητα, *propter ingenii seuitiam*, vt *Aelianus* loquitur var. hist. XII. 5. quod clarius ita effert lib. XIV. cap. 35. ὅτι πολὺ ἐπράττετο, καὶ ἔτι μᾶλλον παρὰ τῶν ξένων, *quia multum exigebat, & plus adhuc a peregrinis.* Meretrix apud *Aristaenetum* lib. I. epist. 14. pag. 73. *nouaculam* se nominat: γέγονα ξυρὸς, inquit, εἰς ἀκόνην, *nouacula in cotem incidi.* Alia publicarum libidinum victima Παγὶς, *Laqueus in Luciani* dialogis meretr. tom. II. p. 543. cognominatur A vita & moribus omnes. Tales feminae Romanis *lupae* dictae, cum

quod auide emungerent iuuenum crumenas, tum quod horum peſtes eſſent. Apud Athenienſes celebris erat mercalis femina nomine *Leaena*, cuius in honorem animal leaena in Acropoli collocabatur, teſtibus *Polyaeno* VIII. 45. & *Lactantio* lib. I. cap. 20. poſt initium; eſtque hoc nomine nundinati pudoris femina in *Luciano* l. c. pag. 525. ſ. Et Thais dicta quaſi Ταὼς, *pauo*, propter ſuperbiam. Habuerunt enim quadrantariae ſua cognomina, vt multis conſtat exemplis apud *Athenaeum* XIII. 19. Quidni ergo *Panthera* hominem eiusmodi nequam deſignaret, tabernariarum omnium ſectatorem, vti *panther* animal inde vocatur, *quod omnium animalium amicus ſit*, iuxta *Iſidorum* Orig. XII. 2. Sane vulgarem vxorem vetulam vitiliginibus perſperſam, παρδάλει ἐοικέναι, *ſimilem eſſe pardali*, ſcribit *Lucianus* l. d. pag. 544. Eſt vero pardalis idem cum panthera animal, quod *Bochartus* in Hierozoico & *Salmaſius* ad Solinum docuerunt, quamuis non pauci contrarium ſentiant, e quibus *Conſtantinus* quoque *l' Empereur* eſt ad codicem בבא קמא pag. 22. quidam in medio relinquant,

linquant, vti V. C. *Io. Rendtorfius* in eruditis ad Anatolii fragmentum περὶ τῶν κατὰ ἀντιπάθειαν καὶ συμπάθειαν notis, libro quarto bibliothecae Graecae Fabricianae, cap. XXIX. insertis, pag. 315. Atque hac ratione Panthera omnium bipedum quadrupedumque impurissimum sonaret hominem, ex quo satus sit Saluator, quod est trabale mendacium. Operae hic pretium est considerare, eandem Iudaeos calumniam in Christum effudisse, quam gentiles contra Iudaeos. Hos enim *scabiem turpauisse* refert *Tacitus* Histor. V. 4. Mosenque ducem ipsorum Ἄλφα nominatum, ob vitiliginem qua laborarit, vetus est Ptolemaei Hephaestionis filii mendacium apud *Photium* codice CXC. p. m. 151. edit. Gr. Augustanae 1601. & incerti in Helladii Chrestomathia apud eundem codice CCLXXIX. initio, ad quem posteriorem locum videndi *Dauid Hoeschelius*, ac *Io. Meursius*. Addendus & *Huetius* demonstr. Euang. propos. IV. cap. 2. num. 48. pag. 94. seq. atque *Io. Nicolai* in singulari, quod ea de re conscripsit, opusculo. Itaque Pandera flagitiosissimus & nequitia notissimus fuerit, neque adulter modo, sed etiam רועה זונות hoc est, vt

reddendum arbitror, *leno*, πορνοβοσκὸς, quod Graecum vocabulum exacte conuenit phrasi Ebraicae. Ceterum, quia Pantheres fuisse dicitur miles, existimarem, vere tunc temporis eo nomine vixisse militem, hominem scelestum, & quo peiorem non aluerit terra. *Pandarus* sane Lyciorum rex memoria veterum celebratur, qui Menelaum in bello Troiano vulnerauit, ipse postmodum a Diomede interfectus, quemadmodum fuse memorat *Homerus* Iliad. Δ. & Ε. ac *Dictys Cretensis* libro secundo, ante finem. Ille Pandarus quia peritissimus sagittarius fuerat, hinc nomen cum omine gerebat; est enim Πάνδαρος quasi πάντων ἀρὰ, *omnium noxa*, secundum *Etymologici M.* auctorem. Fieri ergo potest, vt vel originem ex Lycio Pandaro ducens noster, vel insignis fortitudinis aut crudelitatis potius caussa eandem adpellationem siue ex majoribus traxerit, siue imposuerit sibi ipsi, certe imponi passus, noxaeque non armis modo sed nequiter etiam viuendo multis fuerit. Pauca volebam, lector humanissime, de Pandera commemorare; creuit autem non attendenti materia. De quo infami viro quum plura dixerimus, quam

quam constitutum erat, ne nunc quidem finem faciemus, nisi vnum adhuc monuerimus. Occasione Pantheris locum ex Targum Esther Scheni producit *Vagenseilius* p. 30. quo Haman, audita ferali de suspendio poena aduersus se lata, sic loquens inducitur: *Quum Haman videret verba sua non percipi* (a Mardochaeo) *rursus o suam sortem eiulare ac flere coepit in me horto qui palatio adiacebat, multum exclamans vociferansque. Audite me arbore fruticesque omnes orbi huic congenitae Filius Hammedathae* בעי מיסוק לאכפנדריא *vult ascendere in Alexandriam* דבר פנדירא *filii Panderae. Huc omnes adeste & consilium suppeditate. Ex eo quod quinquaginta vlnas altum est, capite suo pendebit Haman.* Ita vir illustris interpretatus est, multum deinceps sollicitus, quid phrasis *ascendere in Alexandriam filii Panderae*, secum ferat; tandemque coniicit, suspendium ea denotari, atque patibulum filii Panderae, siue Christi, Alexandriam vel regiam dici, eo quod ex cruce pendens animam efflauerit. Suspendium indicari consentio quidem; at quod de Alexandria adiicitur, nimis longe petitum est, &, si

accurate consideremus, nulla huius vrbis mentio in testimonio deprehenditur allato. Etenim Alexandria Iudaeis dicitur אלכסנדריא vti Alexandrinus אלכסנדרי & Alexander אלכסנדרוס inserto constantissime Lamed. Heic autem אכסנדריא legitur, tam in Vagenseilio, quam in editione Targum illius, quo vtor, folio תשסב estque vocabulum omnino diuersum, ex אכסן ξένος, *hospes*, & דירא vel דיירא *habitaculum* conflatum, nil praeter ξενοδοχεῖον siue hospitium indicans, leui duntaxat mutatione in fine vocis commissa. Vt adeo in *diuersorium filii Panderae ascendere*, idem sonet ac, eadem cum eo frui fortuna, hoc est, suspendi. Putidum de Pantherinae cognationis, omnium scelerum maculis contaminatissimae, cum sanctissima & diuina familia permistione commentum, in memoriam vocat non dissimilem audaciam (vt molliter dicam) hominis, quod iure mireris, Christiani, *Iacobi* nimirum *Boulduci* lib. I. de ecclesia ante legem cap. 5. (apud *Seldenum* de iure nat. & gent. lib. V. c. 14. pag 647.) ex abiecto vilissimoque inter Iudaeos Gibeonitarum, seu, vt postea vocabantur, Nethinaeorum, ordine, Iosephum, Mariae con-

coniugem, ſtemma duxiſſe exiſtimantis. Deus bone! Nil nequius dici aut fingi poteſt. Eius inſomnia ſi quis exagitat, ſimul confutat. Caſtigauit nihilominus inſaniam illius *Io. Lundius* Lib. IV. 7. pag. 759. num. 13. & 14. Vtique haec neque ſunt vsquam, neque poſſunt eſſe profecto.

PVOVERB. XXV. 22.

גחלים אתה חתה על ראשו׃

Prunas coaceruabis ſuper caput eius.

CVcurbitas pingunt, quotquot vindictam, vt loquuntur, piam, de inimicis ſumendam, aut graues poenas his imminentes, intelligunt, qui beneficiis licet obruti, ad meliorem tamen mentem redire detrectant. *Carbones* tantum abeſt, vt hoſtile quid hoc loco notent, vt potius iucunda alteriq; quã maxime grata declarent. Etenim quum *cibum ac potum praebere* anteceſſerint, iucundiſſima hoſpitibus officia, neceſſe eſt, vt *carbones dare* alicui ab illo bonitatis ſenſu non recedat. Orientalium populorum conſuetudo fuit, peregrinos, praeter alia

alia honoris indicia, fumo excipere, id est, Arabicos in vsum honoremque illorum accendere odores. Thymiamata certe in conuiuiis non defuisse liquet ex Ezechiel. XXIII. 41. ex commentario *D. Kimchii*, & ex codice *Berachoth* VI. 6. vbi thuribulum mensae inferendum, praecipitur consecrandum demum esse לאחר הסעודה post refectionem, siue, post cibi benedictionem, vt *Bartenora* exponit. Haec aromata quia sequebantur cibos iam adpositos, hinc & vltimo heic loco facta est *carbonum* mentio, vt humanitatis officium compleretur. Transiit illa consuetudo ad plures gentes, duratque hodieque inter Turcas. Itineraria euolue, ac *Theuenotium* cumprimis lib. I. cap. XXIV. Sic itaque בחלים odores carbonibus in fumario impositos denotat, prout *prunas in capite* alicuius *coaceruare* idem est ac, incenso odorato hospitem beare. Neque cibus & potus sufficiebant; adfundebatur insuper capiti oleum, suauissimoque suffimentorum odore recreabantur nares. Vtrumque tam oleum quam thus laetitiae signum est; de illo vide Ps. XLV. 8. de hoc *Vagenseilium* ad Sotam pag. 352. Haec eo tentabundus, vt in tenebris.

bris. Tu forte meliora, lector, cogitabis, vtinam & nobis impertiaris.

LVCAE XVIII. 1.

Πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι.

Quod oporteat semper orare.

NOn sunt nimium premendae locutiones, in queis πάντοτε, διαπαντὸς, item νυκτὸς καὶ ἡμέρας reperitur, nec adeo crasse, prout nonnulli facere solent, capiendae sunt; qui vt euincant, posse aliquem omni omnino tempore orationi vacare, ridicula, nescio quae, interpretamenta comminiscuntur, profundae imperitiae argumenta. Frequentiam tantum actus, & studium feruens, nec facile remittens, eiusmodi dicendi genera inferunt. Quamquam ergo de Cornelio centurione perscriptum sit, Actor. X. 2. eum preces ad diuinam naturam fudisse διαπαντὸς, bellicis tamen domesticisque negotiis fuit defunctus, non exiguum temporis spatium requirentibus. Quamuis de Bragmanibus testimonium perhibeat *Palladius* pag. 8. ἔυχονται ἀδιαλείπτως,

τως, & *Ambrosius* pariter pag. 62. *iugiter orare* adfirmet; simul tamen cogitandum est, eosdem Quintili ac Sextili mensibus ad vxores abiisse, per quadraginta dies cum iis versatos fuisse, aliaque suscepisse negotia, immane quantum ab oratione discrepantia. Annam προφήτιδα a templo nunquam recessisse Lucas scribit cap. II. 37. id est vix vnquam, aut nonnisi rarissime. Cura rei familiaris auocabant vtique illam, ac praeterea perpetuo in aede sancta commorandi potestas nulli concedabatur feminae. Qua etiam ratione intelligendum venit, quod Saluator apud Ioannem XVIII. 20. de se refert: ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, hoc est saepissime. Neque enim haec tantum loca frequentauerat, sed longe plura, neque noctes diesque permanere in templo licebat, nisi quibus cura illius & custodia fuerat demandata, neque etiam in Synagoga, diurnis duntaxat exercitiis diuinis consecrata. Idem sentiendum de locis, Luc. XXIV. 53. Ephes. VI. 18. 1. Timoth. V. 5. atque similibus. Ceterum, textum praesentem recte exponi eo, quem indicauimus modo, liquido constat ex Paulino monito: τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, Rom. XII. 12. Col. IV. 2.

I. SAMVEL. XXV. 22.

משתין בקיר :

Mingentem ad parietem.

CErtamen heic est hominibus cum canibus. Namque phrasin *mingentem ad parietem* quidam de his, alii de illis capiunt. Pro *hominibus* prae aliis decertauit virorum summus *Sam. Bochartus* in Hieroz. part. I. lib. 2. cap. 56. col. 675. seqq. pro *canibus*, exquisitae doctrinae vir, *Io. Clericus* ad locum. Ex ipsis porro hominibus plerique mares in vniuersum omnes, alii puerulos tantum intelligunt cum *Schindlero* in lexico, & clariss. *Buxtorfio* in Catalectis pag. 5. Priori de *hominibus* interpretationi video fauere omnia, & hoc inprimis, quod 1. Reg. XIV. 10. XXI. 22. ac 2. Reg. IX. 8. coniungantur *meiens ad parietem*, *clausus atque derelictus in Israele*. Posteriora sicuti manifesto de hominibus loquuntur, ita & priora de iisdem sunt accipienda, eo quod canes nullum in familia locum inueniant. Ecquis enim est, qui *clausum* de venatico

natico & Melitensibus catellis, matronarum deliciis, *neglectum* vero de viliori-bus perque vias libere vagantibus intelligere velit canibus? Sane haec sunt ἀλλόκοτα, quantumuis a *Clerico* excogitata. Quorsum enim, quaeso, additamentum illud *in Israele?* Rectius homines id inuoluit quam bruta. Aut num עזר & עזה de animalibus leguntur? Non puto. Sed de hominibus. Fauet, quod nullum occurrat saeuitiae bellicae aduersus animantia exemplum: soli homines ad internecionem destinabantur. Nam quod *Ioach. Zehnerus* in prouerbiis ex Flauio Vopisco, & ex eo *Clericus* adfert de Aureliano imperatore, qui iratus dixerat: *Canem in hoc oppido non relinquã*, id a moribus Iudaicis semper alienum fuit. Quid ergo? Forsit ad bellum adhibiti canes innuuntur, militibus aliquando fortitudine, vigilantia, vsuque neutiquam cedentes. Agesipolis canes circum castra dimisit, qui transitum impedierunr in vrbem, fidem faciente *Polyaeno* II. 25. *Alyattes* ἀλκιμωτάτας κύνας ἐπὶ τὴν μάχην ἐξήγαγεν· οἱ προσπλακέντες τοῖς βαρβάροις, ὡς θηρίοις, πολλὰς μὲν αὐτῶν διέφθειραν, τὰς δὲ λοιπὰς φεύγειν ἀιχμῶς ἐβιάσαντο, *robustissimòs canum in pugnam*

gnam eduxit, qui barbaros quasi belluas adorti, magnum eorum numerum interfecerunt, reliquosque turpem capessere fugam coegerunt, quod idem stategematum scriptor lib. VII. 2. 1. memoriae prodidit. Lege insuper *Aeliani* Varia lib. XIV. cap. 46. ac eruditos eius interpretes. At vero, quum nec huiusmodi canum in militia Ebraica vllum, quantum nouimus, compareat vestigium, sequitur, procul hinc arcendos canes, locumque hominibus dandum. Fuit tempus, quo conieceramus, *mingentem ad parietem* descriptionem esse viribus fracti, aetate confecti, eoque parieti innitentis. Haberet ea suspicio praesidium aliquod cum in Arabum lingua, vbi אשתן *istanna* notat *consenuit*, tum in *Theodoreti* auctoritate, per משתין בקיר ad lib. 3. Regū quaest. XLI. non alium intelligentis, quam τὸν ἀσθενῶς διακείμενον, καὶ σῆναι, δίχα τῆ ἐρείδεσθαι τῷ τοίχῳ, παντελῶς μὴ δυνάμενον, *qui infirmus est, nec stare omnino potest, nisi parieti innitatur.* Si quid habes melius, lector, doce & fauebo.

EPIST. IVDAE commate 9.

Περὶ τȣ̃ Μωσέως σώματος.

De Mosis corpore.

REiiciendi non sunt, qui σῶμα de voluminibus accipiunt, doctrinam legesq; Mosis comprehendentibus. Pauci sic exponunt, nec plures forsan, quam numerantur Charites. Caussam non video, cur tanto fastidiant opere nonnulli eam interpretationem, quae tamen congruere cum re ipsa videtur; vocum sane vsui exacte respondet. Sexies hoc sensu σωμάτιον in *Porphyrio* recurrit, quem nunc inspiciamus solum. Ita ille in vita Plotini cap. XXV. Ταύτας τὰς τρεῖς Ἐννεάδας ἡμεῖς ἐν ἑνὶ σωματίῳ τάξαντες κατεσκευαάσαμεν. *Tres has Enneades vni inclusimus volumini.* Capite sequente: Καὶ τὴν τετάρτην ȣ̃ν ⊂ τὴν πέμπτην Ἐννεάδα εἰς ἓν σωμάτιον κατετάξαμεν, λοιπὴν δὲ τὴν ἕκτην Ἐννεάδα εἰς ἓν ἄλλο σωμάτιον, ὡς διὰ τριῶν σωματίων γεγράφθαι τὰ Πλωτίνȣ πάντα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον σωμάτιον ἔχει τρεῖς Εννεάδας, τὸ δὲ δεύτερον δύο, τὸ δὲ τρίτον, μίαν, ἔστι δὲ τὰ τȣ̃ τρίτȣ σωματίȣ, Ἐννεάδος

δὲ

δὲ ἕκτης, ταῦτα. *Quartam igitur atque quintam Enneadem in corpus vnum redegimus; sextam vero, quae supererat, Enneadem in vnum aliud volumen cogere placuit, vt scripta Plotini omnia in tria sint volumina distincta, quorum prius tres Enneades, alterum duas, tertium vnam complectitur. Libri autem tertii voluminis, sed Enneados sextae, sunt sequentes* &c. Romanis vocabulum *corpus* eodem plane sensu vsitatum esse, norunt pueri, qui olim Dupondii adpellabantur. Quod si alicuius respueret stomachus datam expositionem, suaderem, *corpus Mosis* παραφρασικῶς pro *ipso Mose* positum, crederet, cuius generis loquendi exempla antecedente observauimus libro. Sic, quod nunc addimus, quia se vltro offert, βοῶν ἴφθιμα κάρηνα, *boum fortia capita*, id est, *boues fortes*, in *Homeri* hymno in Mercurium. Sic in loco illo σκοτεινῷ Matth. XXIV. 30. τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *signum filii hominis* (per quod nonnulli crucem, vt *G. I. Vossius* in thesibus Theologicis pag. 228. quidam iridem, vt *Vrsinus* Analect. Sacr. part. I. lib. 5. cap. 44. non pauci portenta, quae vrbis excidium antegressa sunt, & a *Flauio* memoriae

moriae data, alii aliud quid intelligunt) nil est aliud, quam *ipse filius hominis*. Sic apud Latinos *robur saxi*, pro *saxo*, *robora clauae* pro *claua*. Vide *Scioppium* ad Priapeia carmine VIII. p. 39. ac elegantem inprimis *Danielis Vechneri* Hellenolexiam lib. 2. cap. 8. vbi haec notabis exempla pag. 332. ποταμὸς σῶμα, ἀνέμου σῶμα, σῶμα τῆς λόγου, pro *flumen*, *ventus*, *oratio*. Quamobrem, siue litem mouerit diabolus de Mose, verusne fuerit Propheta, nec ne? siue alia quaedam impudica & scelesta contra muneris ipsius dignitatem vitaeque integritatem eructauerit, semper certamen fuit περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, *de Mose ipsissimo*, vt cum *Plauto* loquar, seu, vt cum *Aristophane*, περὶ τοῦ Μωσέως αὐτοτάτου.

---

1. REG. VIII. 9.

אין בארון רק שני לחות האבנים׃

Nil erat in arca, praeter duas tabulas lapideas.

EPIST.

EPIST. AD EBR. IX. 4.

Ἐν ᾗ (κιβωτῷ) στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης.

In qua foederis arca *vrna erat aurea continens Manna, & virga Aaronis quae floruerat, tabulaeque teſtamenti.*

EBraica a Graecis, ſcriptor libri regum ab auctore epiſtolae ad Ebraeos, longiſſime inter ſe diſtare videntur. At viri non minus antiquitatum Iudaicarum quam Graeci ſermonis peritia celebres, ſecus ſe ſe rem habere dudum docuerunt. Perplacet conciliatio, a *Buxtorfio* in hiſt. arcae foederis cap. V. *Braunio* comment. in epiſt. ad Ebraeos, celeberrimo *Hottingero* ad Goodwinum pag. 343. aliisque inſtituta, huc tendens: omnino nihil in arca fuiſſe foederis praeterquã tabulas lapideas, quod & diſerte in veritate Ebraica bis adfirmatur, heic nempe ac 2. Chron. V. 10. & conſtans Iudaeorum, ipſiusque adeo *Ioſephi*, conſenſus tuetur,

solo *Ralbag* ad h. l. excepto. Eius porro arcae lateribus adpositas fuisse capsulas, vrceum baculumq; seruantes, quae quoniam a maiore illa nunquam diuellebantur, inde factum, vt quidquid complecterentur, *arcae* illius, maioris nimirum, generali nomine adpellatũ fuerit. Ergo baculus vna cum vrna non quidem *in ea* arca, sed *propter* vel *iuxta illam* conspiciebantur. Nec opus, vt hanc interpretationem ex praepositionis ב significatu *prope iuxta circa*, *ad*, cum viris doctissimis antea laudatis, eliciamus, quum purissimo Hellenismo ἐν idem sonet, quod *Vigerus* de idiotismis Graecis cap. IX. sect. 3. §. 9. p. 335. atque *Perizonius* ad Aeliani II. 25. pag. 112. planum fecerunt. Ex diuina arca lapideas tabulas, Decalogum exhibentes, complexa, infelici sidere natae sunt gentilium cistae, in sacris Eleusiniis die quarto a feminis gestatae, in queis reconditae erant sesamides, pyramides, liba multis vmbilicis distincta, pugilli aliquot salis, draco, mala punica, corda, ferulae, hederae, placentae, papauera, auctore *Clemente Alex.* admonit. ad gentes pag. 14. A. Plura si volueris, *Meursii* Eleusinia legito cap. XXV. Neque mirum, arcae foederis notitiam

notitiam ad gentiles peruenisse: peruenerunt longe plura. Transitus nempe Israelitarum per mare rubrum, descriptio vrbis sanctae superioris ab Ezechiele & Ioanne in Apocalypsi data, ipsaque Aaronis virga, vt taceam alia per multos auctores sparsa. Haec enim iunctim tacta sunt a *Luciano* libro secundo verae historiae, tomo I. pag. 671. 672. 688. 689. vt ibi notauit *scholiasta* pag. 31. seq. quem licet eo nomine castigauerit *Clericus*, frustra tamen virum esse insignem, mentemque enarratoris in bene multis haud fuisse adsecutum, facile monstrari posset, si aut nunc *Lucianum* illustrare adgrederemur, aut extra oleas impune vagari liceret. Qui probe secum vel id solum perpenderit, scurram mordacissimum in duobus verae historiae libellis fictas duntaxat res proponere, ac veteres scriptores, fabularum aut inuentores aut adprobatores, insectari & exagitare, atque hoc simul animo lustrauerit, eundem Christianos alibi data opera contumeliis distrinxisse, & quidquid ab his dictum meras existimasse nugas, aegrorum somnia, stultitiae extremae quisquilias, is fidem facile adhibebit *scholiastae*, neque de his mecum tria mutabit

verba. Historiarum vero sacrarum non fuisse ignarum sannionem illum Samosatensem, neminem dubitare cum ratione posse opinor, quum aut ipsos inspexisse illum diuinos libros, aut quae in iis continentur, fando saltem percepisse, verissimum sit. Verum haec, vt dixi, missa nunc faciamus.

I. EPIST. AD TIMOTH. IV. 8.

Ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος.

Etenim corporis exercitatio ad pauca vtilis est.

ATHleticam, pugilationem, & reliqua corporis exercitia (non vero abstinentiam a cibis delicatioribus, coniugio, similibusque, quae ad spiritualia magis pertinent,) denotare Paulum, satis aperte τῆς σωματικῆς γυμνασίας adpellatio prodit. Graeci id vocant vno vocabulo σωμασκεῖν & σωμασκίαν. Vide *Pollucem* fine libri tertii, *Plutarchum* Sympos. lib. 2. quaest. 5. *Herodianum* lib. VII. cap. 1. exeunte. Hanc

σωμασκίαν

σωματικὴν perquam exiguam secum trahere vtilitatem, non tam admonendi Timothei caussa (quippe quem huiusmodi exercitationibus vacasse non liquet) scripsit Apostolus, quam quia sic ferebat occasio; habetque consentientes aliquot ex gentilium praecipuis. *Cornelium* puto *Celsum*, cuius haec sunt verba lib. I. cap. 1. *Vt huius generis exercitationes* (nauigare, venari, hinc inde discurrere, balneis vti, edere saepius & quantum concoquere possis) *cibique necessarii sunt; sic* ATHLETICI SVPERVACVI. Et *Senecam* epist. LXXXVIII. pag. 339. *Quid prodest multos vincere luctatione vel caestu, ab iracundia vinci? Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt studia?* AD VIRTVTEM NIHIL. Liberalia inter studia luctatorum heic refertur disciplina, exopinione temporum antiquorum, quam debellat Philosophus noster. Idem initio ep. XV. *Stulta est & minime conueniens litterato viro occupatio, exercendi lacertos & dilatandi ceruicem, ac latera firmandi.* Mox: *Quidquid facies, cito redi a corpore ad animum; illum diebus ac noctibus exerce.* Quod respondet Paulino, id est diuiniori, praecepto, γύμναζε σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. Cete-

ra enim conducunt nonnisi πρὸς ὀλίγον, scilicet πρᾶγμα, ad res oppido paucas, quum pietas e contraria parte vtilis existat πρὸς πάντα. Vel πρὸς ὀλίγον, nempe χρόνον, durantibus breui tantum vitae tempore, nec eo quidem integro, corporis viribus. Milo Crotoniates, qui parem quoad σωματικὴν γυμνασίαν non inuenit, *quum iam senex athletas se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse*: At hi quidem iam mortui sunt, memorante *Cicerone* in Catone maiore. Atque huic exiguo temporis spatio opponitur data pietati promissio τῆς ζωῆς τῆς μελλούσης.

DEVTERON. XXII. 12.

גדלים תעשה לך על ארבע כנפות
כסותך אשר תכסה בה׃

Funiculos facito tibi in quatuor oris tegumenti tui, quo te tegis.

VEterum funiculorum, siue fimbriarum, ex contortis filis constantium, cognitio, primo quidem intuitu tetra & aspernabilis insuauisque esse & incinilis videri solet;

solet; sed vbi accuratius expenderis, tum denique emolumentum eius in animo tuo dilucebit. Vestes Iudaeorum exteriores seu pallia τετράγωνα fuisse, inde a temporibus Mosis vsque ad Sospitatoris nostri aetatem & vltra, variis documentis commonstrari possit, si quem id in dubium vocaturum existimare fas esset. Ad quatuor istos angulos peniculamentum adponi debuisse, vi legis diuinae, Iudaei tam Rabbanitae pariter quam Karaitae, itemque Christiani credunt omnes; ego vero non ex quatuor tantum alis, sed oris vestimentorum per orbem dependisse persuasum mihi habeo. Requirebat hoc fimbriarum vsus in regionibus orientis, quippe quae eum in finem aut adsuebantur, aut in textura relinquebantur, (quamuis hunc posteriorem modum Verpi non admittant) vt pedibus adhaerentem puluerem excuterent, prohiberentque ne nimio obruerentur. Atqui hoc commodius omnino peragebatur, vestium oram ambientibus fimbriis, quam hinc inde dispersa vna alteraue. Adhaec maiori inseruiunt ornatui fimbriae circumundique conspicuae. Ipsum adeo Pontificis M. pallium, siue tunica hyacinthina, ex

se

se pendentia habuit circumcirca סביב Exod. XXVIII. 33. aurea tintinnabula & malogranata, multa sane, quamuis incerti adhuc numeri. Iam vero tintinnabula ista vna cum malogranatis, in vestitu summi Sacerdotis aureo, locum implebant τῶν Ziziioth in vulgo vsitatis vestibus, eratque illa tunica pontificalis ad infimos usque pedes profluens, secus ac Iudaei arbitrantur. Quare vti illic extremum vestis vndiquaque ornatum erat; sic & in pallio communi sese res habuerit necesse est. Porro quod illic malogranata ex lana purpurei, coccinei atque hyacinthini coloris, id hic est *filum hyacinthinum* Num. XV. 38. siue *fila hyacinthina*, vbiuis obuia; est enim singularis loco pluralis. Verum obstat, inquies, quod in nostro praecipitur textu, fila nimirum funiculi instar contortiplicata, quatuor angulis על ארבע כנפות esse imponenda. Immo ex hisce te ipsum refellam. *Quatuor alae* totam inuoluunt vestem, quae quoniam apud antiquissimos Ebraeorum vere quatuor habuit πτερύγια, hinc, dum illorum fit mentio, totum intelligi pallium debet, non solae extremitates. Quod si rotunda fuisset tunica, fimbriis exornanda, dixisset vtique

סביב

סביב quemadmodum de orbiculato supremi sacerdotis hyacinthino vestimento locutus est. Quamobrem, dum quatuor adpellantur alae, quidquid has interiacet, animo simul complecti debemus, aeque vt quatuor plagis mundi, aut quatuor ventis Matth. XXIV. 31. Marc. XIII. 27. nominatis, vniuersum intelligimus orbem. Haec puto, antiqua fuit fimbriarum vestimentorumque fimbriatorum ratio; recentior, & qua nunc vtuntur Iudaei, multa habet inania, futilia, ridicula, de quibus ne verbum quidem in sacro codice legitur. Ceterum fimbrias gestarunt populi plures. Libyum mulieres super vestem caprinis amiciuntur pellibus fimbriatis, iuxta *Herodotum* IV. 189. addentem, Graecos ab illis vestem & αἰγίδας simulacrorum Mineruae mutuatos esse, nisi quod σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν Λιβυσσαίων ἐστὶ, καὶ οἱ θύσανοι οἱ ἐκ τῶν αἰγίδων αὐτῇσι, οὐκ ὄφιες εἰσι, ἀλλὰ ἱμάντινοι, *coriaceum sit Libyssarum vestimentum, ac fimbriae ex caprinis pellibus pendentes, non serpentes sint, sed ex loris factae.* Hinc procul dubio sua habet *Alexander Sardus* lib. I. de moribus & ritibus gentium cap. XIX. p.m. 43. *Caprinas*, inquiens, *pelles Aphrae mulieres fimbriatas* gerunt,

gerunt, *vt postea fecere Graeci aegida Pallados.* Vsitatae etiam fimbriae Aegyptiis, de quibus idem *Herodotus* II. 81. Ἐνδεδύκασι δὲ χιθῶνας λινέας περὶ τὰ σκέλεα θυσσανωτοὺς, ἔς καλέσι Καλάσιρις. *Induti sunt lineis tunicis, circa crura fimbriatis, quas Calasiris adpellant.* Nomen hoc peregrinum ex צריר קלע *velum adstrictum* aut *arctum*, pro corporis scilicet modulo, deduxit *Clericus* ad Num. XV. 38. Mallem sic dictum quasi כלה זר *totum illud limbus*, idque examussim conuenire iudico. Neque enim adstrictas fuisse vestes indicat *Herodotus*, sed fimbriis tantum instructas; & hae ex limbo, extremitatem vestimenti cingente, pendulae erant. Seiuncti ergo fuerunt Iudaei a reliquis nationibus in eo, quod fimbrias gestarint hyacinthinas, eum in finem, vt, quum easdem intuerentur, in memoriam vocarent mandata Domini cui parebant, Num. XV. 39. Qui profecto vsus longissime discrepat & a reliquorum populorum, & ab Africanae potissimum gentis cuiusdam consuetudine, de qua ita *Ioannes Boemus* de gentium moribus, legibus, ritibus, lib. I. cap. VI. p. 45. *In bellum subterraneorum struthionum pelles pro argumento ferunt Gnidanes,*

nes (lege *Gindanes*) *Macis conterminni, quorum mulieres fimbrias pelliceas ferunt, singulae multas; ob hoc (vt memoratur) quod vt a quoque viro Venerem passa est, fimbriam orat*, (lege *nodat* vel *ornat*) *& vt quaeque plurimas habet, ita praeclarissima habetur, tanquam a pluribus viris adamata.* Et haec ex *Herodoti* lib. IV. sumta, retenta ad verbum *Laur. Vallae* interpretatione. Sanctius quid monebant fimbriae Israelitas, nimirum *sancti essent Deo* Num. l. c. v. 40. neque *oculis indulgentes scortarentur*, v. 39. Non dubito, quin inuidis & imperitis quibusdam flagitium feciſſe videar, quod ita de fimbriis ſtatuam; ſed illos non minimi homines naſi aſſis non facio, & cum naſo ſuo malam rem habere iubeo.

MARCI V. 23.

Ἔσχατως ἔχει.

In extremis est.

HOc loquendi genus Graecae conſuetudinis haud eſſe, & palam adfirmant non-

nonnulli, & persuadere aliis conantur. Nobis committendum minime est, vt sequamur illorum opinionem, his potissimum temporibus, quae rudia amplius non sunt, sed Graeca doctrina exculta atque expolita. Τὰ ἔσχατα Graeci vocant extremum periculum. Hinc τὰ ἔσχατα δράσειν τινα apud *Aelianum* var. hist. II. 4. p. 62. *extremis aliquem poenis*, & tantum non morte, *adficere*. Item τὰ ἔσχατα παθεῖν *extrema sustinere supplicia*, in *Xenophonte* de expedit. Cyri lib. II. p. 287. E. eodemque sensu τὰ πάντων ἐσχατώτατα παθεῖν apud eundem hist. Gr. lib. II. pag. 469. B. Dignus est, qui huc transferatur locus: Ἐὰν γὰρ ἐλεγχθῶ ἢ νῦν ταῦτα πράττων, ἢ πρότερον πώποτε πεποιηκὼς, ὁμολογῶ τὰ πάντων ἐσχατώτατα παθὼν ἂν δικαίως ἀποθνήσκειν. *Nam si conuictus fuero, vel nunc illud moliri, vel vnquam antea feciſſe, fatebor, me omnium extrema ſupplicia perferentem merito interfici.* *Hinc* ἐσχάτως μαστιγῶσαι, *ad necem vsque verberibus coercere*, lib. I. nouae hist. cap. LXX. pag. 114. dixit *Zosimus*. Hinc ἐσχάτως διακεῖσθαι notat *in extremo vitae diſcrimine poſitum eſſe*. Audiamus *Polyaenum* V. 2. 16. Διονύσιος ἀρρωστεῖν

ἀῤῥωστεῖν προσποιησάμενος, λόγον διέδωκεν ὡς ἐσχάτως ἔχοι διακείμενος. *Dionysius aegrotare se simulans rumorem diuulgauit, quasi in extremo versaretur viuendi periculo.* Hinc ἐν ἐσχάτοις εἶναι in *Luciani* Abdicato tom. I. pag. 718. quod Latinis *conflictari cum morte.* Eius verba huic loco maxime necessaria sunt: ἐν γὰρ ὡς ἐν ἐσχάτοις ἦσαν τὴν γυναῖκα, καὶ παμπονήρως ἔχουσαν, οὐκ ἰώμενον μισεῖς, κτλ. *Quem enim odisti, quod uxorem extrema agentem, grauissimeque decumbentem, non sanauerit,* &c. Duas, vt vides, vsurpat phrases, quae idem significant, atque in eandem rem dicuntur. Neque aliter ἐσχάτως in textu nostro capitur, sine vlla barbarismi suspicione. Desinant igitur, quaesumus, viri boni Marcum posthac vexare, aut de Ebraismo vel idiotica dictione suspectum heic reddere, ne in famae discrimen veniant ipsi.

PSAL. CXV. 8.

כמוהם יהיו עשיהם כל אשר בטח בהם׃

Similes illis sunt, qui faciunt illa, quisquis confidit ipsis.

Iambliche vbi es? Vetus illud tuum non

effatum, sed oraculum, nobis repete: Ἐκεῖνό γε αὐτῇ ὑπάρξει (τῇ εἰδωλοποιΐᾳ) τὸ ἀφομοιωθῆναι τοῖς εἰδώλοις, ἐν οἷς τὴν πίστιν ἐν αὐτοῖς ἴδρυσεν. *Illud secum trahit* idolorum confictio, *quod similem reddat hominem simulacris, in quibus fidem posuit*, libro de Mysteriis sect. III. cap. 29. pag. 100. Nihil magis adpositum fingi potest ad verba Dauidica, quam quod Philosophus ille Chalcidensis scripsit, quem propter ea *sacras nostras litteras legisse*, rectissime coniecit *Galeus* pag. 250. Ingenua de vanitate idolorum testimonia, ab ipsis gentilium sapientioribus data, passim prostant, nunc quidem non proferenda. Neque illud *Iamblichi* adduxissemus, nisi verbis adeo ipsis congrueret cum Dauide. Gentes, quibus non plane bruta mens fuit, idola sua nuncuparunt μάταια, quod intelliges ex his, quae vir clarissimus, *I. C. Volsius* ad Libanii epist. XCVIII. pag. 290. notauit. Aurũ argentumq; sunt, opus manuum humanarum, cõmate 4. Digna haec res effusissimo cachinno visa olim fuit *Luciano* in Ioue confutato T. II. p. 122. fatoq; decretum esse pronunciauit, vt alii argentei, alii aurei existant Dii. Sunt & eburnei, lapidei,

lapidei, aenei, lignei, quos inter certamen de praestantia & dignitate longe maximum fuisse subortum idem finxit, in Ioue Tragoedo. Ora sunt illis, nec loquuntur, com. 5. Sunt אלילים אלמים Habak. II. 18. vbi LXX. habent εἴδωλα κωφά, quae Paulus 1. Cor. XII. 2. εἴδωλα ἄφωνα nominat. Quanquam enim ἀυτόφωνοι χρησμοὶ, *oracula ipsius numinis ore edita*, memorentur in *Luciani* Pseudom. T. I. p. 764. 768. 769. etiamq; fagus Dodonaea ἀυτόφωνος ab eodem vocetur in Gallo T. II. p. 160. tamen constat, nonnisi sacerdotum fraude haec fuisse peracta, quod priore in loco Alexandri impostoris exemplo abunde docet, vti reliquorum oraculorū omnium fraudes felicissime detexit *Antonius van Dale*, opere de oraculis, quem in compendium misit *Fontenelle*, homo Gallus, *dans l' histoire des Oracles* Amstel. 1687. placuitque ea sententia viris doctis impense, e quibus duos nomine adpellasse sufficiat, *Basnagium* ad Cunaei lib. III. de Rep. Ebr. c. 7. seqq. & *Gundlingium* selectarum observationum parte V. obseru. 3. Sunt porro illis oculi, at non vident, quid agant offerentes adorantesque, quam-

uis post terga hominum collocentur, quemadmodum Amasin in bello Arabico statuas Deorum Aegyptiacorum post militum suorum dorsa posuisse narrat *Polyaenus* VII. 4. idque eum ob finem, vt προθυμότερον κινδυνεύοιεν, νομίζοντες ἔχειν θεατὰς τὰς θεάς, *vt alacrius pericula adirent, secum cogitantes, se Deos habere spectatores.* Iam & aures licet habeant, tamen non audiunt, commate 6. Id Ioui tacite obiecit *Lucianus* in θεῶν ἐκκλησία, p. 714. Nil proficit βατταλογία, repetitio instauratioq; rei eiusdem sub aliis bene multis nominibus, odiosa, inanis, molesta, cuius specimina prostant in *Catone* de re rustica cap. CXLI. *Aeschylo* in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, *Anthologia* lib. I. cap. 38. *Sauberto* de sacrificiis cap. XIII. pag. 294. ff. aliisque. Nasos quoque habent, verum haud olfaciunt, θυμιάματα scilicet, aut quidquid gratum spargens odorem offertur. Quin manus habent, neque tamen palpant, com. 7. Alioquin nec barbas sibi demi, nec vestimenta detrahi, nec templa spoliari permitterent, quae omnia Dionysium Syracusanum tyrannum patrasse auctor est *Aelianus* in Variis, *Valerius Maximus,*

Maximus, *Cicero*, plures; multo minus fana incendi, quod Dianae Ephesiae pluribusque sacris aedibus contigisse norunt omnes; aut quosdam cum ipsis Deorum statuis congredi, quod scelus admisisse nonnullos testatur *Clemens Alexandr.* admonit. ad gentes pag. 38. itemque *Lucianus* in Amoribus T. I. p. 884. seq. & in Imaginibus T. II. pag. 4. Pedibus instructi sunt, at non ambulant. Nimirum, haneos habent Dii pedes, iuxta prouerbium. Vere itaque sunt εἴδωλα ἄψυχα, ἃ μόνῃ τῇ ἐμφάσει τῆς ζωῆς ἐπιπνεόμενα, ἁρμονίᾳ τε ἐπισκευαστῇ καὶ πολυειδεῖ συνεχόμενα ἔξωθεν, *simulacra non animata, sed vitae quadam adparentia inflata, fictaque & multiplici harmonia externa constantia*, prout *Iamblichus* loquitur initio capitis. Vno verbo אלילים *res nihili*. Quemadmodum idola membris quidem gaudent, iis tamen vti nequeunt: sic & illi qui faciunt ea confiduntq; ipsis non sane differunt ab eiusmodi simulacris. Neque enim homines isti pedum, oculorum, manuum, linguae, vsum didicerunt; id si esset, nec templa Deorum frequen-

 tarent,

tarent, nec anxii ad auxilia respicerent, nec munera darent, nec hymnos componetent. Carent sensibus idola, vere εἴδωλα, hoc est imagines, nusquam nisi in adorantium intellectu existentes; carent homines, spem in his locantes, quae nil nisi figmenta sunt.

IOANNIS XI. 11.

Κεκοίμηται.

Obdormiit.

ADposite de Lazaro dictum κεκοίμηται, quippe quod de viris bonis adhibendum, vti de reliquis ἀπέθανε. Callimachi celebrantur versiculi, multorumque doctorum hominum memoria dignantur, quod sint lepidissimi & venustissimae breuitatis:

Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται. θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς.

Frischlinus vertit:

Hac tellure Saon requiescit Acanthius, ortus
Patre Dicone. bonos dicere nolo mori.

Occur-

Occurrunt libro III. Anthologiae, cap. I. pag. 163. Quare non Ebraeis tantum Syrisque, & reliquis orientem habitantibus populis, *dormire* adhibetur pro *mori*, verum ipsis quoq; Graecis. Nil ad me *Gataker*us dissertatione de noui instrumenti stilo c. XLII. nil *Moses Solanus* in diss. Sebast. Pfochenio oppositа p. 283. nil siue recentiores siue nouitii auctores, Ebraismum heic quaerentes, quos vel ex solo Graecorum epigrammatum libro tertio nunc refutabimus. Primo statim capite pag. 161. τὸν γλυκὺν ὕπνον κοιμᾶδϛ, *dulcem dormire somnum*, & cap. XXVI. pag. 285. de eo qui fulmine tactus obiit, ἐκοιμήθη ἐκ πυρὸς ἠρανίε, dicitur. Capite XXV. num. 70. Εὕδει κοιμηθεὶς ὕπνον ὀφειλόμενον. *Dormiit dormiens somnum debitum.* Item cap. XXII. pag. 251. Νήγρετον ὑπνῶδαι, *dormire somnum, ex quo excitari nequeas.* Adde *Moschum* idyll. III. apud quem μάλα μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον εὕδειν, *valde longum, infinitum, inexcitabilem somnum dormire* offendes, hoc est, fatum occupare suum. Adde & alios, qui εὕδειν eodem sensu adhibent, indicatos *Barnesio* ad Anacreont. vers. 1561. Atque hae locutiones omnes, a somno petitae, mortem describunt. Quo etiam *Catulli* pertinet *nox perpetua*, & νὺξ μακρὰ in epigram-

mate nondum edito, quod fauori VFFENBACHII mei acceptum refero. Et tu Damoni illi meo gratias persolues, lector, si litteras amas. Versus hi sunt:

Πίνωμεν γαλερῶς, μετά τοι χρόνον ὀκέτι πουλύν,
Σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.

Bibamus hilariter, siquidem post tempus non adeo longum, O infelix! longa nox erit nobis dormienda. Haec quamuis apud Poetas occurrant, Graeca tamen sunt. Quamobrem, si κοιμᾶσθαι in *moriendi* notione sumtum, Poetarum indolem sapere statuissent viri eruditi, haberent nos consentientes; at dum Ebraismum vocant, veritatis viribus repelluntur.

IESAIAE VI. 6.

ובידו רצפה׃

Et in manu eius carbo.

ITa quidem רצפה in praesente oraculo conuerti, doluit olim *Hieronymus* & ad hunc locum, & peculiari ad Damasum papam epistola

epistola de Seraphim & calculo ardente. Doluit etiam *Bochartus* Hieroz. part. I. lib. 2. cap. 33. col. 327. seq. Hic illius vestigia legens, רצפה *calculum* aut *lapidem* quemuis, cuius in pauimento aliquis sit vsus, denotare, docte monstrauit. Quos optarem recentiores secuti fuissent interpretes, & Lexicographi etiam, *carbonem* heic intrudentes, quum *calculum* debuissent. Eat nunc iuuentus, & speciosae librorum fronti credat. Calculi absoluentes noti omnibus; hic mundantem habes, & quidem ex altari sumtum. Fere vt in Graecia Areopagitae, calculum, quem laturi essent, ex ara petebant. *Demosthenes* pro corona: Ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου - - - τοῦτον μὲν εὐθὺς ἀπήλασεν, ὡς προδότην, Ὑπερίδην δὲ λέγειν προσέταξε. καὶ ταῦτα, ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέρουσα τὴν ψῆφον ἔπραξε. *Senatus Areopagiticus - - illum statim reiecit, tanquam proditorem; Hyperidem vero verba facere iussit: & haec quidem* senatus *fecit, petito ab ara calculo.* Id vero in iudiciis de sacris locum duntaxat habebat, non in aliis, quod contra Sigonium ostendit *Meursius* in Areopago c. IX. Plura addere superuacaneum. Adeo enim certa sunt, quae attulimus, vt nemo quis-

quam confutare possit, nisi & otio suo abutatur, & τὸ ἐν παιδείᾳ ὀψιμαθὲς prodat.

APOCAL. I. 4. 5. 6.

Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις ταῖς ἐν τῇ Ἀσίᾳ. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, ἃ ἐστιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ.

Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς. τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ.

Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ. αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Ioannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia. Gratia vobis & pax, ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui sunt coram throno eius.

Et a IESV CHRISTO, qui est *fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terrae. Ei qui*

qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris per sanguinem suum;

Et qui *fecit nos reges ac sacerdotes Deo patrique suo: Ei*, inquam, sit *gloria & imperium in saecula saeculorum. Amen.*

QVantumcunque adhibeant pii & docti homines operam, vt ad legitimae constructionis Graecae imaginem ista redigant, nunquam tamen ceruicosum aduersarium, vel vmbonibus iunctis, ad hanc sententiam pertrahere poterunt. Te compello, *Stolbergi*, linguae Graecorum litterator, qui in erudito de soloecismis & barbarismis N. T. tractatu pag. 5. seqq. Andream Caesareensem secutus, post ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ponendam esse τελείαν στιγμὴν, qui comma quintum a vocibus ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς inchoandum, in his vero τῶν βασιλέων τῆς γῆς, finiendum, qui reliqua, τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς & quae sequuntur, iungenda cum αὐτῷ ἡ δόξα ad finem vsque, optime quidem docuisti: at quorsum referenda haec: καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ, quomodo item vel cum antecedentibus connectantur vel subsequen-

quentibus, securus praeteriisti, labyrinthum cernens Grammaticum inextricabilem. Quid? quod in his, ἀπὸ τοῦ ὁ ἦν, *aliquid peculiare occurrere, & quod scripturae sacrae sit proprium*, veritate impulsus, fateri coactus fueris. Nonnemo, (qui ellipses Graecas *Lamberti Bos* in his oris recudi fecit, magnumque inter eruditos nomen affectat, cuius insuper eruditionem Graecanicam laudat scilicet! *Alexander Helladius* de statu ecclesiae Graecae praesentis pag. 264. seq.) saepius subaudito ὃς medelam adferre studet loco, sic vt sensus enascatur aliquo modo, odiosa vero & molesta euadat oratio nimia ista repetitione, neque sic tamen satis cohaereat. Felicius in hocce campo versati non sunt alii bene multi, quos tacemus. Iuuat ingenue cum *Erasmo Roterodamo, H. Grotio, L. de Dieu, Th. Beza, Er. Schmidio*, ceterisque, singularem, impeditam, Ebraismisque scatentem adgnoscere orationis structuram; quales etsi patrum nostrorum aetate admittere quidam recusauerint, tamen bonarum litterarum Genio gratulemur, quod non omnes maiores nostri fatui & muliebriter pii fuerint, neque tam inconsultam pietatem

tatem coluerint. *Noui Testamenti* λέξις *non vbique seruat* τὰ τῆς Ἑλλαδικῆς φωνῆς συνήθεα, *sed quandoque a Graecae linguae consuetudine vulgari abit, salua maiestate sermonis sui, quae tanta est, vt meis laudibus sit superior*, scribit Academiae nostrae magnus quondam doctor, *Io. Conr. Dietericus* in Chrestomathia Graeca pag. 44. moxque subiicit: *Dictio propter peregrinam quandoque & insolitam eloquentiae formam rara & admirabilis, vel exercatissimo laborem facit.* Haec *Dietericus*, quem Athenae recepissent ciuem. Danda nunc ratio est, ob quam nouitate illa sermonis vsus fuerit Ioannes. Nisi semel statuerimus, quod consilium heic sequamur, semper aestuabimus. Quod vsu illis venit, qui res quam verba ostendunt, & eloquentiam, velut vmbram, minus curant, id omnino accidisse liquet Theologo, si quisquam alius, consummatissimo. Qui quum apocalypsin narrare incepisset, dixissetque Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις &c. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη. illico sublimia quaedam & mystica Kabbalisticaque (tres enim supremas numerationes in arbore Kabbalistarum, septemque inferiores, commate

quarto

quarto respici docta est *Io. Meyeri* in dissert. de mysterio SS. Trinitatis ex solius V. T. libris demonstrato, atque ex Rabbinorum monumentis illustrato, Harderouici 1712. edito, pag. 23. coniectura) menti obuenerunt, quae non praetermittenda videbantur, quibus iterum adspersit nonnulla alia, ex occasione subnata, donec tandem, mole illa rerum grauissimarum se ipsum quasi liberans, redeat commate IX. ad id quod dicere fuerat adgressus, inquiendo: Ἐγὼ Ἰωάννης ὁ καὶ ἀδελφὸς ὑμῶν κτλ. Atqui haec sunt illa ipsa, quae ansam dederant adponendi comma IV. cum sequentibus. Igitur ea quum adscripsisset, tum demum redit ad institutum. Idem deprehendimus in prioris epistolae initio, vbi simulac τῆς ζωῆς mentionem iniecisset, non pauca e vestigio animum subierunt, ad eandem ζωὴν pertinentia, commate 2. legenda, quibus adpictis priora resumit verba: ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν &c. Hic mos est Ioannis μυστικωτάτε, rerumque potius magnitudinem ac sublimitatem, quam inuolucra vocabulorum, attendentis. Et apud profanos scriptores obseruatur haec sirems. Vnicum in praesentia proferemus exemplum *Polyaeni*

lyaeni, Macetae, cuius proinde scribendi consuetudo propius ad N. T. accedit, quam ad aliorum dicendi formam. Legitur illud capite XL. libri vltimi: Τιμόκλεια Θηβαία, Θεαγένους ἀδελφὴ, τῶ παραταξαμένω Φιλίππω περὶ Χαιρωνείαν· ὃς καὶ πρὸς τὸν ἐμβοήσαντα, Μέχρι τῦ διώκεις; ἀπεκρίνατο, Μέχρι τῆς Μακεδονίας. τύτω τελευτήσαντι, περιῆν ἀδελφή. Θήβας κατέσκαψεν Ἀλέξανδρος. ἄλλοι μὲν δὴ ἄλλα τῆς πόλεως ἐπόρθησαν. Τιμοκλείας δὲ τὴν οἰκίαν καλελάβετο Θρᾷξ Ἵππαρχος. ἔτος ὁ Θρᾷξ μετὰ τὸ δεῖπνον ἐκάλει τὴν Τιμόκλειαν εἰς τὸν θάλαμον κτλ. *Timoclea Thebana, soror Theagenis, eius qui in Chaeronea cum Philippo praelium commisit. Qui exclamanti, vsque quo persequeris? respondit, vsque in Macedoniam. Huic mortuo supererat soror. Thebas diruit Alexander. Alii itaque alias ciuitatis partes vastarunt; Timocleae vero domum inuasit Thrax quidam Hipparchus. Thrax ille post coenam in thalamum vocauit Timocleam &c.* Nemo quisquam structurae elegantiam haec talia sapere, multo minus ad Atticorum dicendi venustatem pertingere adfirmabit, nisi qui aut Graece neseit, aut communi sensu caret. Vocabula vt in animum venerunt, ita calamo excepta sunt, absque ordine,

dine, amoenitate, nexu, concinnitudine; vaga, illepida, rudi, atque plebeia ratione.

PSAL. LX. 10.

מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי׃

Moab est pollubrum meum, supra Edomum proiiciam calceum meum.

VErum est, vile ministerium, profanarumque gentium ad sordidissima quaeuis condemnationem, hisce locutionibus denotari: at hoc non sufficit. Dispiciendum est, quare de Moabo *pollubrum*, de Edomaeo *calceus* adhibeatur. Varia cogitantis animũ subeunt. Forsan vtraq; gens dictis figuris numos suo insigniuit, prout alios orientis populos agni imaginem adhibuisse constat ex Genes. XXXIII. 19. Iobi XLII. 11. Pugnantium gallorum gallinaceorum species pecuniae impressisse Dardanienses, leporis Rheginos, pauonis Samios, Argiuos muris, Cephallenes equi, Phocenses tripodis Delphici & aquilae, Boeotios muscae, Delphini anchorae implicati Byzantios, Troezenios tridentis, Tenedios securis, Corcyrenses aliosq; insu-

insulanos nauis, Locros stellae, Herculis clauae Macedonas, &, qui magis huc pertinent, Lamiae Thebarumque Boeoticarum incolas, illos vrcei, hos canthari Bacchi formis monetam signasse, numismata veterum loquuntur. Vel Moabitarum regio figuram *pollubri*, Edomitarum *calceamenti* exhibuit, vt Italia hodieque tibiae forma delineatur. Notum est Delta Aegyptiacum, notum & hoc, Alexandriam cum chlamyde, Aegyptum cum brachio, Sardiniam cum vestigio hominis, Peloponnesum cum platani folio &c. conferri. Et a Prophetis Hierosolyma cum *pelui*, Zachar. XII. 2. nec non cum *olla*, Ezechiel. XXIV. 6. comparatur. *Mortarium* Zephaniae cap. I. 11. an vrbem sanctam inferiorem, aut eius vicum declaret, litigant commentatores. Vrbium Samariae & Damasci aliquas plateas dictas *lectos* siue *spondas*, coniectura est *Drusii* ad Amos III. 12. Num vero memoratas figuras Moabitis atque Idumaea praese tulerint, definire haud licet, eo quod limites harum regionum non accurate cognoscamus. Vel in vexillis habuerunt *pollubrum* & *calceamen*, sicuti Persia & Roma aquilam, Assyria columbam, aliae terrae aliud.

Iam vero ad insignia gentium alluſiſſe paſſim vates, nemo ignorat.

ACTOR V. 29.

Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις.

Obediendum eſt Deo magis, quam hominibus.

DAemonium illud hominis, Socrates, & paſſus eadem eſt, quae heic de Apoſtolis narrat diuinus ſcriptor, & ſententiam protulit omnino eandem. Is enim in iudicium vocatus, quod Athenienſium Deos non vt Deos coleret, quod nouos aliquos induceret, quod iuuentutem corrumperet, quum morti addictus eam effugere potuiſſet, data fide, ſe μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν, μηδὲ φιλοσοφεῖν, *nunquam poſthac in iſta inquiſitione*, ſui nempe ipſius aliorumque, *& in philoſophia verſaturum*, (æque vt Apoſtolis iniunctum fuerat com. 40. doctrinam Chriſti amplius haud denunciare) nunquam id ſe facturum adfirmauit, ſed ita intrepide reſponſurum: ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ. ΠΕΙΣΟΜΑΙ ΔΕ ΜΑΛΛΟΝ ΤΩΙ ΘΕΩΙ Η ΥΜΙΝ. *Ego quidem vos, viri*

ri Athenienſes, diligo atque amo; verum Deo parere malo quam vobis, vt ſcriptum legitur apud *Platonem* in apologia Socratis p. m. 12. Petrus tamen, veluti origine Iudaeus, reſpondiſſe videtur Pontifici maximo ex propriis Iudaeorum decretis, regibus non obediendum eſſe ſancientibus, vbi mandatum diuinum eſſet negligendum. *Maimonides* Hilch. Melachim cap. III. §. 9. המבטל גזירת המלך בשביל שנתעסק במצות אפילו במצוה קלה הרי זה פטור וגו' ואין צריך לומר אם גזר המלך לבטל מצוה שאין שומעין לו: *Qui mandata regis non obſeruat, vt vacare poſſit praecepto Dei, quamuis*, vti videtur, *leuiſſimo, nullam incurrit poenam*, &c. *Nec dicere attinet regi, ſi tollere iuſſerit praeceptum diuinum, minime eſſe obtemperandum.* Atqui hoc, Saluatoris ſcilicet optimi maximi annunciare diſciplinam, iuſſum erat diuinitus datum Apoſtolis, Matth. XXVIII. 19. 20. quod proinde irritum reddere, in nullius arbitrio poſitum erat.

AMOSI III. 12.

כאשר יציל הרעה מפי הארי שתי כרעים
או בדל אזן:

Quemadmodum eripit pastor ex ore leonis ambo crura aut particulam auris.

NOn tam rustica quaedam & pastoritia est similitudo, ex arte, cui se addixerat vates, ducta, prout nonnullis placet, quam locutio prouerbialis. Talis est ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος, 2. Timoth. IV. 17. aut ἐκ στόματος λύκου, apud *Longum* lib. I. pag. 16. Σωθεὶς ἐκ κυνὸς, φασιν, ἁ λύκου στόμαλος. *Ereptus ex canis, non lupi faucibus, iuxta prouerbium.* Quod sicuti natum volunt apud Graecos *Gothofredus Iungermanus* atque *Petrus Moll* ad locum, itemque *Erasmus* in Chiliadibus, ex grue Aesopica, os suum lupi inferente faucibus, eoque praemium exigente, sed his verbis dimissa: ἀρκεῖ σοι μισθὸς τοῦτο καὶ μόνον, ὅτι ἐκ λύκου στόματος καὶ ὀδόντων ἐξῆρας κάρα σῶαν, καὶ μηδὲν πάθουσαν, *hoc tibi solum mercedis loco ducas, quod ex ore*

ore dentibusque lupi caput eduxeris saluum integrumque: ita apud Ebraeos occasionem huic adagio, non fabula fecit, sed Dauidis historia, qui iuuenis adhuc pecudem a leone & vrso ablatam, interfectis animalibus ferociſſimis, poteſtati illorum eripuit. Quod memorabile factum, veluti ſingulare, ipſe coram Saule exponit 1. Sam. XVII. 34. 35. vbi notetur eadem locutio מפי והצלתי Indicatur vero ſummum periculum, quod aegre aliquis euadit. Idem ſenſus alio effertur prouerbio: מצל מאש *ereptus ex igne*, apud Zachariam III. 2. & Noſtrum IV. 11. Vnde nonnulli difficilem locum in priore ad Corinth. III. 15. αὐτὸς σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός, illuſtrarunt, &, mea quidem opinione, haud infeliciter.

MARCI XII. 42.

Λεπτὰ δύο.

Minuta duo.

OBolus octo continebat χαλκοῦς, iuxta *Cleopatram* in Coſmeticis, quorum

particulam exhibet *Galenus* περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν, tomo IV. operum, p.m. 467. edit. Graecae Basil. an MDXXXVIII. & secundum rei numariae scriptores tam veteres quam nouitios. Iam vero λεπτὸν chalci pars est septima, teste *Suida* vocibus Ὀβολὸς & Τάλαντον, sexmillesima Solidi, vt ex *Hesychio*, sed emendato, fuse monstrat diuinus *Ios. Scaliger* de re numaria antiquorum, tomo IX. thesauri Gronouiani col. 1528. Estque λεπτὸν vere λεπτὸν, ita vt in plures partes diuisum non sit, adeoque duo λεπτὰ extremae paupertatis indicium praebeant. Vti τετταράων ὀβολῶν ἄξιον & Ἡμιοβέλιον de re nullius pretii adhibent Graeci, vti *Dupondii*, vti *Teruncii*, aut *assis non facere*, vti *tressis homo*, id est tribus assibus dignus, nec non *diobolaris*, de vilissimis abiectissimisque siue rebus siue personis vsurpant Romani: ita hic λεπτὰ δύο, non *duo* accurate *minuta*, sed aliquot duntaxat, siue tria siue quatuor, semper tamen minimum pecuniae, notare poterunt, inprimis quum constet in numeralibus rem seu magnam seu paruam vnice attendendam, non numerum, qui ponitur, ipsum. Sic Matthaei XVIII. 24. 28. duo nominantur serui, quorum

um vnus decem mille talenta, alter nonnisi centum denarios debebat hero. Nulla est in his numeris aequalitas, atque vix cogitari potest seruus, qui debitum contraxerit decem mille talentorum, nisi per eiusmodi δῆλον supremum quendam regis ministrum intelligere velimus. Quod quo minus facere liceat, in caussa est alter ille, qui prioris σύνδελος (quē Attici vocarent ὁμόδελον) audit, nec tamen C. denariorum possessor est. Ergo numerus certus vice fungitur incerti, atque decem mille talentis nil praeter immanem auri vim, centum denariis nil nisi vile debitum indicatur. Sic μύριοι παιδαγωγοὶ, 1. Corinth. IV. 15. sunt multi admodum. Neque enim vnquam quisquam decem mille paedagogos aut habuit, aut habere potest. Sic μύριοι λόγοι, 1. Cor. XIV. 19. verba sine numero.

CANTIC. VII. 5.

אפך כמגדל הלבנון׃

Nasus tuus similis turri Libanon.

IMmanis nasus & in viris reprehenditur & in feminis quam maxime. De illis le-

ge *Antholog.* lib. II. cap. 13. totum, de his nota ex Amorum libris omnia. Quid ergo heic sponsae cum naso grandissimo, deformitate & vitio corporis onereque maximo? Vexauit ille scrupulus *Raschium*, bene gnarum, puellam Iudaicam ob hanc suppellectilem minime commendari, eoque ingenue profitentem: אני יכול לפרשו לשון חוטם לא לעניין פשט ולא לעניין רומז כי מה קילוס נוי יש בחוטם גדול וזקוף כמגדל: *Haec de naso nequaquam capere possum, siue sensu litterali, siue metaphorico. Quae enim laus, quaenam pulcritudo nasi est, turris instar magni atque alti?* Vnde nasutus Iudaeorum magister de *fronte* verba nostra interpretatur. Sed neque de hac textum intelligere sat commode licebit, si formae decus ex veterum genio metiri voluerimus, quippe qui frontem *paruam*, *modicam*, *angustam*, *breuem*, *minimam*, *tenuem*, in formosiore sexu celebrarunt. Multa in hanc rem habes in *Cheuraei* opusculis Gallicis pag. 323. seqq. Aliter, & diuersa plane quam *Raschius* volebat, ratione, dubium tollit incertus ac nondum editus commentator ad h. l. quem flammis ereptum seruat VFENBACHIVS ille meus, cui salutem debent

bent quamplurimi optimae notae libri. Rabbini verba sunt: נוי גדול הוא באישה בחוטם זקוף ושוה בלא עקימה *Ornamentum feminae est nasus erectus atque planus, non incuruus.* Id vult; nasum vegrandem non laudari, sed eum qui iustae magnitudinis & εὐμετρος est, ac praeterea non aduncus. Hinc liquet, Iudaicam gentem nasos aquilinos haud multi fecisse, quos impense amarunt Persae, Cyri caussa, quippe quem tali naso instructum fuisse perhibent. Inde est, quod *Aelianus* var. hist. XII. 1. absolutissimae pulcritudinis exemplar in Aspasia, Cyri primum, deinde Artaxerxis concubina, exhibiturus, fuisse eam scribat ἐπίγρυπον, naso praeditam modice aquilino. Quin & in pueris τὸ ἐπίγρυπον laudat *Aristaenetus* lib. I. epist. XI. p. 57. idque ad amorem conciliandum non parum conferre memorat. In tanta iudiciorum varietate quid statuendum? Ex naso turriculam facere, hoc est deformissimam introducere virginem, non arridet; mirorque viros naso non carentes, non minimi tamen puellam nasi heic quaesiuisse. Persuasum mihi habeo, neutiquam ad insanam turris Libanon molem respici, sed ad appensa eidem ornamenta,

atq; cum his sponsae nasum componi. Nempe enim galeae, clypei, aliaque instrumenta bellica, de turribus, more veterum, suspensa. Patet ex hoc ipso Cantico cap. IV. 8. vbi collum amatae cum turri eadem ex caussa comparatur. Patet cum ex infinitis aliorum testimoniis, tum ex hoc inprimis *Abrabanelis* comment. in Ezech. XXVII. fol. 192. col. 4. היו מיפים ומהדרים את העיר בכלי מלחמה יפים והיה המנהג לתלות אותם על המגדלות *Pulcriorem ornatioremque reddebant vrbem instrumentis bellicis elegantissimis, quae de turribus suspendere consueuerant.* Cogita splendorem scutorum aereorum atque aureorum, siue inaureatorum, intuentium oculos, splendente cumprimis sole, perstringentem. Eius fulgoris descriptio exstat 1. Maccab. VI. 39. Ὡς δὲ ἔσιλβεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὰς χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας, ἔσιλβε τὰ ὄρη ἀπ' αὐτῶν, καὶ κατήυγαζεν ὡς λαμπάδες πυρός. *Vt vero sol aureos aereosque clypeos illustrauit, resplenduerunt montes refulseruntque veluti lampades igneae.* Huiusmodi turrium ornatus elegantissime cum naso confertur, id est, cum ornamentis nasi, auro gemmisque constantibus. Nam ea in vsu erant feminis Israeliticis, ex instituto per-

pertractata a *Steph. Morino* in explanationibus sacris & Philologicis in aliquot V. & N. T. loca pag. 11. seqq. cui iungendus *Io. Rhodius* de Acia cap. VI. p. 104. s. Denique notandum, quod sicuti ornamenta nasi in sponsa heic laudantur, ita Deus ecclesiae eadem, tanquam insignia quaedam dona, dedisse legatur apud Ezechielem XVI. 12. Scio nouam esse nostram de hoc loco sententiam, alteram vero veterem: sed & Saturniae lemae veteres sunt.

MATTH. XIII. 35.

Ἀνοίξω ἐν παραβολῇ τὸ στόμα μου.

Aperiam in parabolis os meum.

SVauiter nugantur boni viri, qui Ebraismum & inuenisse se heic putant, & in sinu illum fouent; *aperire* scilicet *os*, pro *loqui*. Iam a senatu Philologorum, ipsoque sanctiore Atticorum consessu, adprobata videbatur ea sententia, habebaturque nostra phrasis, eo sensu quo nunc occurrit, plane deplorata. Nec auctoritas ei dari poterat, nec conciliari nitor; deserta iacebat

bat & relicta ab his etiam, quibus puritas ſtili N. T. curae fuit cordique, niſi quod vnicus, quantum memoria ſuppeditat, *Eraſm. Schmidius* ad Matth. V. 2. Aeſchyli quodam loco producto, neſcio an huc pertinente, animam reddere locutioni praeſenti ſtuduerit. Faſtidient plerique hoc medicamen, a Poeta ſubminiſtratum, cuius verba nimio rore Achaico inflata ſint, qui cothurno incedat, humili ac ſimplici N. T. ſtilo minime aptandum. Tragico itaque ſubſtituemus pedeſtri ſermone vtentem, in cuius dictione nil niſi elegantiam reprehendere poteſt liuor. *Lucianum* volo, apud quem locus exſtat gemellus in Philopſeude Tom. II. pag. 349. Ἐκείνου μὲν οὖν ἤκουσα, οὐ κατὰ τὸ κοινὸν τοῖς πολλοῖς, ἄσημόν τινα φωνὴν, ἀλλά μοι καὶ ἔχρησεν ὁ Μέμνων αὐτὸς, ΑΝΟΙΞΑΣ ΤΟ ΣΤΟΜΑ ΕΝ ΕΠΕΣΙΝ ἑπτά. *Eum itaque audiui, non illo modo quo plerique audiunt ſonum quempiam inanem; ſed mihi oraculum quoque dedit Memnon ipſe, aperiens os ſeptem verſibus.* In Matthaeo *os aperire in parabolis* notat parabolas eloqui; in Luciano, *os aperire in verſibus* declarat verſus recitare. Eſtne ouis oui magis ſimilis? Memnon alioquin erat tantum ἠχῶν

πρὸς

πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον, *sonum* quendam vagum *edens oriente sole*, vt ante adducta verba loquitur *Lucianus*, vel, vt in Toxari pag. 51. de eodem ait, erat βοῶν πρὸς ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον, inconditum quid clamans; hic vero tribuit illi τὸ χρᾶν, *oraculum reddere*, quod quia versuum modis vinctum plerumque erat, hinc addidit: ἀνοίξας τὸ στόμα ἐν ἕπεσιν ἑπτά. Etsi vero frequentius in sacris paginis occurrat locutio nostra, rariusimmo rarissime in profanorum auctorum libris: tamen non audiendi sunt acutuli isti & minuti doctores, qui inlutis, quod aiunt, pedibus & verbis reprehendunt orationem sanctissimi scriptoris, dum interea ignorant, ea vsum fuisse lepidissimum politissimumque hominem, cui si actionem impuri sermonis intendere vellent, nae is, si reuiuisceret, acri aceto perfunderet, fulmineis impeteret dentibus, locoque moueret vitio creatos eiusmodi Orbilios. Satis est, *Lucianum* semel ita locutum fuisse, cuius testimonium pluris facimus, quam centum nugacissimorum aduersariorum commentitias futilesque sententias.

IOSVAE

IOSVAE X. 13.

על ספר הישר׃

In libro Recti.

APeriam de hoc libro mentem meam, eo quod opiniones aliorum in magna varietate positas videam, neminem vero dixisse, quod penitus nobis placeret. Fortia belli ducum facta exposuisse istud, quidquid fuit, voluminis coniicio, cum quod hoc loco occasione caedis Chananaeorum, per Iosuam factae, eius fiat mentio, tum quod 2. Sam. I. 18. funebris oratio Sauli ac Ionathanis honori a Dauide habita legatur, lugubria istorum fata, summamque rerum bellicarum peritiam enarrans, eademque hisce commentariis inserta fuisse adfirmetur. Alibi istud opusculum non laudatur; & ex his fragmentis aliter colligere non possumus. In Numeris cap. XXI. 14. liber מלחמות יהוה *bellorum Domini* memoratur, quem facile quis eadem tractauisse cum nostro *Recti volumine* cogitare possit, nisi discrimen in promtu esset. Illud enim

enim *bellorum Domini* opus historiam bellorum, quae per multorum annorum spatia cum gentibus profanis vniuersus Israelitarum populus gessit, copiosius, temporum habita ratione, narrauisse puto; hunc vero *Recti librum*, singulorum imperatorum facinora recensuisse, eo fere modo, quo apud Graecos *Polyaenus*, apud Romanos *Frontinus*, *Nepos*, alii. Ebraeorum *Iaschar* latissimi significatus vox est, aeque vt ישר in vetere, ὁ δίκαιος in nouo testamento. Atque hinc factum, vt LXX. Intt. ישר mox per καλός, aliquando per δίκαιος, & bis per ἀγαθὸς expressserint. Vtique tam late patet ישר quam Latinorum VIR BONVS, de quo *Tullius* quaest. Tuscul. v. 10. *Omnibus virtutibus instructos & ornatos, cum sapientes tum viros bonos dicimus.* Apud *Lucianum* in Votis, tom. II. p. 509. ἀνὴρ ἀγαθὸς, est *vir fortis.* Αὐτός τε ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνε, & τοῖς μετὰ σαυτῦ παρακελεύε δέχεσθαι τὴν ἐπέλασιν. *Ipse vir fortis esto, & eos qui tecum sunt hortare, vt impressionem fortiter excipiant.* Ergo ספר הישר *Recti liber* complexus fuerat supremorum militiae magistrorum מישרים κατορθώματα *recte facta*, belli temporibus. Firmat hanc suspicionem,

cionem, quod οἱ ὁ. ישר reddiderint ἀνδρεῖος, Prouerb. XV. 19. vbi in Ebraica veritate sic fluunt verba: אורח ישרים סללה at in Graeca translatione: αἱ τῶν ἀνδρείων (ὁδοὶ) τετριμμέναι. Sic pari ambiguitati obnoxium est *Iaschar* cum Graeco κρατίστος, quod tam *optimum* quam *fortissimum* denotat; vnde dubia Alexandri M. voluntas vltima, de successore eligendo τῷ κρατίστῳ. Sic & ἄριστος *optimus*, item *Marte praestantissimus*, & posterior quidem significatus est proprius. Loquatur *Helladius* in Chrestomathia: ὅτι τὸ ἄριστος, κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν καλὰ πόλεμον ἐνδοκιμούντων ἂν ῥηθείη. Hinc ἀριστεῖαι *fortia* sunt *facta*. Sic ἀρετὴ generatim *quamcunque virtutem*, speciatim & proprie *bellicam* infert. Quo pacto ישר, πολύσημον alioquin vocabulum, strictiorem fortitudinis sensum obtineret. In praesenti sane negotio ישר *rectum* siue *pium* non indicat, sed manu duntaxat promtum; alioquin nullus Sauli in hoc *Recti libro* datus fuisset locus. Datus tamen est, quia non sine gloria duxit aliquoties exercitum, atque stans in acie mortuus fuit. Haec mea est de *Libro Recti* coniectatio; tu dispice, num *Annus clibanum*.

APOC.

APOCAL. I. 1.

Ἀποκάλυψις.

Reuelatio.

NEgat *Hieronymus*, hanc vocem ab vllo scriptorum gentilium adhibitam, in comment. ad Galat. I. 12. *Verbum quoque ipsum* ἀποκαλύψεως, *id est reuelationis, proprie scripturarum est, & a nullo sapientum saeculi apud Graecos vsurpatum. Vnde mihi videntur, quemadmodum in aliis verbis, quae de Ebraeo in Graecum LXX. Intt. transtulerent, ita & in hoc magnopere esse conatos, vt proprietatem peregrini sermonis exprimerent, noua nouis rebus verba fingentes: & sonare, quum quid tectum & velatum, ablato desuper operimento, ostenditur & profertur in lucem.* Quod sancti patris effatum confirmant Lexica, nullum exteri auctoris testimonium adpingentia, in solaque Hellenistarum auctoritate acquiescentia. Ego quamuis *Hieronymo* faueam, vt qui maxime: Ioanni tamen Theologo, & puritati vocis, ipsique adeo veritati

ritati, plus fauere aequum. Ἀποκαλύπτομαι de reuelatione diuina (quem tamen significatum, tanquam bonis auctoribus incognitum, ex nullo horum stabiliuerunt Lexicographi) legitur in *Iamblicho* de Mysteriis sect. II. cap. 10. pag. 54. Οἱ θεοὶ καὶ οἱ τοῖς θεοῖς ἑπόμενοι τὰς ἀληθινὰς ἑαυτῶν εἰκόνας ἀποκαλύπτουσι. *Dii Deorumque comites veras suas reuelant imagines.* Et sect. III. cap. 17. pag. 82. Διὰ τῶν ἀπεστερημένων γνώσεως τὰ πάσης γνώσεως προέχοντα νοήματα ἀποκαλύπτει. *Per ea quae cognitione carent, patefacit quaedam omni cognitione superiora.* Sermo autem est de supremo Numine. Idem Philosophus libro de vita Pythagorae cap. XXIII. post initium de symbolorum aenigmatumque solutione dixit ἀποκαλύπτεσθαι. Ipsum vero ἀποκαλύψεως nomen deprehendi in *Porphyrio*, cuius scripta legit Hieronymus, & in hoc quidem adhuc solo. Verba eius ex opusculo de vita Plotini cap. XVI. haec sunt. Γεγόνασι δὲ κατ' αὐτὸν τῶν Χριστιανῶν πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι, αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀνηγμένοι, οἱ περὶ τὸν Ἀδέλφιον καὶ Ἀκυλῖνον, οἱ τὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ Λίβυος καὶ Φιλοκώμου καὶ Δημοστράτου καὶ Λυδοῦ συγγράμματα πλεῖστα κεκτημένοι, ΑΠΟΚΑΛΥΨΕΙΣ τε προσφέροντες Ζωροάστρου, καὶ Ζωστριανοῦ,

Σωστριανοῦ, καὶ Νικοθέου, καὶ Ἀλλογένους, καὶ Μέσου, καὶ ἄλλων τοιούτων. *Erant Christiani illius tempore multi, tum alii, tum ex antiqua philosophia egressi haeretici, Adelphii & Aquilini sectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demostrati, Lydique complures habebant libros, reuelationes etiam quasdam Zoroastris, Zostriani, Nicothei, Allogenis, Mesi, aliorumque huius generis hominum, circumferebant.* Videtur tamen, quia de Christianis loquitur, studio ipsorum voce vsus, apocryphasque illas ἀποκαλύψεις nominatim expressisse, non secus ac Romani Graecique vocabula Ebraeorum suis subinde scriptis consulto immiscuerunt; non quod ciuitate sua donarint illa, sed quod propria peregrinae gentis nomina seruare maluerint. Exemplo esto vocula שבת σάββατον, *sabbatum*, quae in *Plutarcho, Iuuenali, Persio, Petronio, Suetonio, Iustinoque* legitur, nec non in epigrammate Graeco Meleagri, quod nos primi ex schedis VFFENBACHIANIS edimus:

Δημὼ λευκοπάρειε σὲ μέν τις ἔχων ὑπὸ χρωτὶ
Τέρπεται. ἡ δ' ἐν ἐμοὶ νῦν στενάχει κραδία.
Εἰ δὲ σὲ σαββατικὸς κατέχει πόθος, οὐ μέγα θαῦμα.
Ἐστὶ κἀν ψυχροῖς σάββασι θερμὸς ἔρως.

Albis genis exornata Demo, quisquis te habuerit, voluptate is intima perfunditur. Nunc vero, quia te mihi carendum est, *cor meum gemit. Quod si sabbatico tenearis desiderio, haud mirum istud, quum & in frigidis sabbatis calidus existat Amor.* Illustremus in transitu hanc inscriptionem. Quae compellatur Δημώ, amica fuit Meleagri, cuius iterum mentio in alio eiusdem epigrammate, & adhuc in alio Philodemi. Vtrumque lucem haud vidit, visurum tamen olim est. Legitur etiam id nominis in *Anthologiae* editae libro VII. pag. m. 502. &, quod notandum, in carmine a Philodemo compositio. Fuit commune multis aliis eiusdem professionis feminis hoc nomen, a vulgandis forsan corporibus ita dictis, prout Πάνδημον meretricem quandam nominat *Suidas.* Vtique in typis excusis indicatisque Philodemi versibus Δημῦς Παφίης, Δημῦς Σαμίης, Δημῦς Ἀσιαχῆς, denique Δημῦς Ἀργολίδος inuenitur mentio. Hanc suam Poeta Δημώ optat *habere*, id est περατέην τι τῶν ὑπὸ κόλπῳ, vt casta *Luciani* phrasi vtar ex Pseudom. tom I. pag. 770. Etenim ἴσχειν ἐταίραν notat, quod *habere Crysidem* apud *Terentium in* Andria. Verum de hac locutione

cutione dicturi ſumus alibi plenius. Porro τέρπεσθαι ὑπὸ χρωτὶ vſurpauit Noſter, quo modo *Homerus*, Odyſſ. Ψ. 255.

Ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ ταρπώμεθα κοιμηθέντε.

Somno ſub dulci delectemur dormientes. Indicantur gaudia non pigra, & leuia, & cunctantia, & quaſi in ſummo pectore ſupernantia; ſed genuina & intima, atque in ipſo penetrali cordis & animae vigentia, vti a *Gellio* deſcribuntur. Poſtremo σάββατα ψυχρὰ ſunt *ſabbata frigida*, vel *ieiuna* ſiquidem & βίος ψυχρὸς *vita ieiuna* Graecis vocatur. Iudaeos vero ieiuniis celebraſſe ſabbata ſua gentiles perperam cenſuerunt, quod ita notum eſt, vt notius nil eſſe poſſit. Profluxit haec opinio inde, quod nec ciborum quidquam coquere Iudaeos in ſabbato, neque ignem tunc alere viderint ethnici. Atqui ieiunia minus aptos reddunt homines ad Venerem, ſine Cerere Bacchoque frigentem. Iocus Meleagri huc, quantum perſpicio, redit. In thalamos, Demo, tuos venire percuperem, eſſetque hoc mea ſola voluptas; tu vero ſabbaticum tibi eſſe deſiderium, hoc eſt, nullis vſtulari Cupidinis igniculis, adfirmas. Inane hoc eſt effugium, & quod vix inueniet fidem.

Ego sane non multum ei tribuo, neque adeo, quidquid abs te dictum est, miror, satis gnarus, dari aliquos qui, etsi cibis sese abstineant, Amorem tamen maxime feruentem sentiunt; pauperesque non minus remedium tertianae quaerere, quam quibus abunde est cupediarum. Ceterum, sicuti Meleagrum Ebraeorum vocabulū vsurpantem vidimus; ita idem in *Antholog.* lib. III. cap. 25. num. 70. aliud condidit epigramma, plures complexum voces peregrinas. Eius auctor quamuis in editione *Eilhardi Lubini* Antipater esse dicatur, in ea tamen quae Florentiae per heredes Philippi Iuntae 1519. prodiit, Nostrum Meleagrum adgnoscit auctorem. Versus huc facientes recitabo:

Ἀλλ' εἰ μὲν Σύρῳ ἐσσὶ, ΣΑΛΟΜ. εἰ δ' ἔν σύγε Φοίνιξ
ΑΥΔΟΝΙΣ, εἰ δ' Ἕλλην ΧΑΙΡΕ, τὸ δ' αὐτὸ Φράσον.

Sensus est, vt pauciſſimis exponam: idem sonare, si Syro *Salom*, Phoenici *Audoni*, atque Graeco *chaere* dicatur. Quid Graecorum χαῖρε notet, & quando adhibitum fuerit, norunt qui *Lucianum* legerunt de lapsu inter salutandum; quid Syrorum *Schelom*, tirones didicerunt. Neque vero ΣΑΛΟΜ legi

legi debet, quippe quod Ebraeorum est, שָׁלוֹם neque ΣΕΛΑΜ cum *Reinesio* in epist. priore ad *Vitum Vuolfrum*, subiecta ἰσοφυμένοις linguae Punicae, Syriacam salutationem ita sonare existimante, quum tamen Syri ad hanc rem non praeterito *Schelam*, sed nomine *Schelom* vel *Schelomo* vtantur, vt ex interprete Syro ad Ioan. XX. 19. 26. liquet: sed emendandum omnino est ΣΕΛΟΜ, si loqui Syriace volueris. Supereſt Ἀδωνις. Quid sibi hoc velit, indicatum est a modo laudato *Reinesio* de ling. Pun. cap. XII. num. 12. Est nempe חיה *viue*, cum adiecto *domini*, quod ex אדני formatum, vt adeo iunctim significet *viue domine mi.* Hausisse hoc se fatetur vir doctus in epist. cit. ex *Scaligero* ad Varronem, atque ex *Drusii* praeter. ad Ioan. XIX. 3. ac priore ad voces Ebraicas N. T. commentario. Quibus nos addimus *Sam. Bochartum* in Chanaane lib. II. cap. VI. p. 804. Nil est, quod heic desiderare possis. Namque & in regum Iudaicorum solennissima inauguratione acclamabant subditi יחי המלך 1. Samuel. X. 24. 1. Reg. I. 25. 34. 39. &c. & bene vouebant alias monarchae suo eadem formula יחי אדני המלך ibid. commate 31. prout Chaldaei

suo principi Nabuchodonosori testabantur pietatem his omnino verbis מלכא לעלמין חיי apud Danielem II. 4. Adde III. 9. V. 10. VI. 7. 22. & nonnemo Persarum regi Artaxerxi, hac sententia: βασιλεῦ Ἀρταξέρξη, δὶ αἰῶνος βασιλεύοις, apud *Aelianum* var. hist. I. 32. itemque Artabazus Alexandro M. hoc voto: *Tu quidem, rex, perpetua felicitate floreas*, apud *Curtium* VI. 5. Quare dubitandum non est, quin יהי ארעי ab Ebraeis in Phoeniciam sit aduectum. Satis de hac materia, immo fere nimis dictum. Tempus est, vt ad alia nos accingamus. Te interea, lector, garrulitati meae vt ignoscas, omni studio rogo.

DANIEL III. 19.

חד שבעה׃

Septuplo magis.

SEptuplum flammae excessum prae solito ardore intelligendum nonnulli putant, alii insigne duntaxat flammae incrementum. Posteriores sequi haud vereor, cum quod fundamentum interpretationis in ipsius diuini scripto-

scriptoris auctoritate illos habere intelligam, eo quod comm. 22. fornax dicatur אוא יתירא *accensa valde*, tum quod septenarium numerum in quamplurimis sanctarum paginarum locis notam esse multitudinis, nemo sit qui negare queat. Praeterea historiae ratio idipsum suadet. Dederat improuiso mandatum ira incensus rex de lignorum silua in clibanum adhuc iniicienda; id quia e vestigio erat implendum, com. 22. in tanta festinatione tantum lignorum fuisse in fornacem immissum, quantum septem incensionibus accuratissime sufficisset, credat Iudaeus Apella, non ego. Multo minus persuaderi mihi patiar, artem dimetiendi ignis, eiusque gradus ad amussim cognoscendi, temporibus illis cognitam fuisse, in quam excellentia hodie incumbunt hominum ingenia. Esto tamen, sciuisse quosdam hanc rationem; obseruatam illam in strue plectendis Danielis commilitonibus adornata, dictas ob causas pernego. Nil aliud voluit Nabuchodonosor, quam in immensum augendam esse materiae ardentis copiam, flammamque excitandam maximam. Similis est locutio in *Luciani* Philopseude, tom. 2. pag. 343. ἐπιμετρεῖν τὸ πῦρ, quae licet πυρομετρείαν

τείαν aliquam, siue dimensionem ignis exactissimam, flagitare omnino videatur, bene tamen *Scholiasta* pag. 35. exposuit προσθεῖναι, *augere*. Atque sic plane *Aben Esra* textum nostrum intellexit, praecipi nimirum להוסיף מוקד ligna ad fornacem largissime esse comportanda. Hanc, vt dixi, sententiam amplector, tanquam Ebraismo conuenientem. Neque enim primam tantum cutem ac speciem sententiarum negligenter intueri, sed in sanguinem quoque ipsum ac medullam verborum introspicere fas est.

EPIST. AD EBR. XIII. 16.

Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός.

Eiusmodi enim sacrificiis delectatur Deus.

PVto vertendum: *Eiusmodi enim sacrificiis acquieſcit Deus*, vel, eadem *adprobat*. Quamuis enim εὐαρεστεῖται formam habeat passiuam, significatione tamen est actiuum; quod non paucis accidere verbis ostendunt *Eras. Schmidius* ad 2. Petr. I. 3. *Gracuius* ad Luciani tomum I. pag. 995. atque

atque *Vechnerus* cumprimis lib. I. cap. 8. Hellenolexias, quam ex merito *multa doctrina refertam* vocat celeberrimus *Herm. ab Hardt* introduct. in veterum Graecorum scriptorum lectionem pag. 15. *eruditam* incliti nominis vir, & de rebus linguaque Germanorum optime meritus, *Io. Georg. Eccardus* in historia studii Etymologici ling. Germ. impensi cap. II. p. 33. *elegantem* desideratissimum eruditis nomen, *Dietericus* quondam noster in Chrestomathia pag. 60. Vnicum, ne plane hinc abeamus immunes & ἀσύμβολοι, *Polyaeni* adspergemus locum ex lib. II. cap. 11. Καρχηδόνιοι γνωρίζοντες τὰ ἰκεῖα σκάφη προσπλέοντας αὐτῶς τῷ λιμένι τῶν Συρακοσίων ἐκ ἐκωλύθησαν. *Carthaginenses sua naugia adgnoscentes, adnauigantes eos in Syracusanorum portum non impedierunt.* Ἐκωλύθησαν heic palam pro ἐκώλυσαν positum est. Faciliorem non inuenio textum praesentem exponendi viam, quam, si placet, mecum ingredere; sin certiorem nosti, te lubens sequar. Aliam ostendit epistolae huius ad Ebraeos exemplar vetustissimum, fidei spectatae, luculente scriptum, saeculi septimi characterem praeferens, atque VFFENBACHII mei bibliothecam exornans, in quo loco

ETAPE-

ΕΤΑΡΕΣΤΕΙΤΑΙ ſcriptum offendi ΕΤΕΡΓΕΤΕΙΤΑΙ. Perquam facilis eſt migratio vnius vocis in alteram; ſed non aeque dictu facile, quaenam alteri praeponenda. Negligenda certe, quam attulimus, lectio minime eſt, cum quod apud *Millium* ea non deprehendatur, tum quod ſuauiſſime congruat cum antecedentibus: τῆς ἐυποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Ita enim aptiſſime τῇ ἐυποιΐᾳ reſpondet τὸ ἐυεργετεῖσθαι. Deus autem beneficio adfici dicitur in pauperibus. Vide, Matth. XXV. 40. &, ſi tanti videbitur, obſeruata libro II. pag. 15. ſeq.

IESAIAE XVIII. 1.

הוי ארץ צלצל כנפים׃

Vae terrae vmbrae alarum.

SCio varie tentatum eſſe hunc locum a viris doctis, *Bocharto*, *Huetio*, *Steph. le Moyne*, diuerſasque datas expoſitiones, quarum nulla placet. Aegyptum deſcribi a vate fatentur nunc ferme omnes. Itaque Aegyptiacos *alatos* Deos innui exiſtimo, ſub quorum

quorum *vmbra* viuebant Aegyptii. Equidem aliae pariter gentes alas tribuerunt numinibus suis, veluti Ioui, Furiis, Nocti, Termino, Victoriae, Ventis, Cupidini, Mercurio, Soli, Dianae, Nemesi, Mineruae, Saturno, &c. verum non omnibus, didiceruntque illud ipsum ab Aegyptiis, quibus hoc singulare fuit, quod nullum sine alato capite coluerint Deum, vt Sanchoniatho testatur apud *Eusebium* praeparat. I. 10. Adde quod Trismegistus diuinitatem circulo alato adumbrauerit, de quo differentem adi *Kircherum* Oedipi Aegypt. tomo II. parte altera pag. 508. Et in veteri testamento diuinae maiestatis symbolum praebent alae, veroque Israelis Deo tribuuntur. Dauid saepius צל כנפים *vmbrae alarum* Iehouae meminit, psalmis XVII. 8. XXXVI. 8. LVII. 2. LXI. 5. LXIII. 8. XCI. 1. Atque huc Iudaeorum formula spectat: colligi תחת כנפי השכינה desumta vel ex Deuter. XXXII. 11. 12. vel alludens ad foederis arcam, Cherubinorum alis, quibus insederat quasi Deus optimus maximus, tectam. Erit ergo verborum Iesaiae sequens interpretatio: *Vae terrae vmbrosarum alarum*, hoc est, numina adoranti vmbrosissimis

mis alis instructa. Talis vere erat Saturnus, alas habens quatuor, duas protensas, duas vero remissas, quas ei plebs Aegyptiaca affinxit, de quibus consule *Alexandrum ab Alexandro* genial. dier. lib. IV. cap. 12. propter finem. Talis Harpocrates, Sol, Priapus, Isis, Osiris, & plures apud illustrem *Cuperum* in Harpocrate pag. 32. seqq. Vmbracula, velamenta, & praesidia tot Deorum nil auxilii praestabunt, quando ruinam indicet totius orbis Dominus atque Deus.

II. EPIST. AD TIMOTH. II. 12.

Συμβασιλεύσομεν.

Vna regnabimus.

NOn est vulgaris dignitas, vna cum Deo regnare; perfruentur tantum eo felicitatis gradu, qui dignos se tanto fastigio per aduersa & patientiam demonstrarint. Sententia verbis vincta rotundis exstat apud *Sallustium* libello de Diis & mundo capite vltimo: Αἱ κατ' ἀρετὴν ζήσασαι ψυχαὶ, τότε ἄλλα ἐνδαιμονέσαι, καὶ τῆς ἀλόγου χωρισθεῖσαι καὶ καθαροὶ παντὸς γενόμεναι σώματος, θεῖς

θεοῖς τε συναπτονται, καὶ τὸν ὅλον κόσμον συνδιοικεῖσι ἐκείνοις. *Animi qui secundum virtutem vixerunt, in aliis fortunati ac beati, ab eo etiam, qui rationis expers est, separati, & ab omni corpore expurgati, Diis ipsis copulantur, & mundum vniuersum vna cum illis administrant.* Συνάρχοντας vocat illos homines *Epictetus* enchirid. cap. XXI. ὃ μόνον συμπότης τῶν θεῶν ἔσῃ, ἀλλὰ καὶ συνάρχων. Sibylla apud *Lucianum* de morte Peregrini tom. II. pag. 579. συνθρόνους nuncupat, spectatque huc illud ex Apocalypsi III. 21. δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου. Iidem σύνθρονοι alias dicti πάρεδροι. Vide *Salmasium* ad Spartiani Adrianum, cap. XIV. p. m. 138. seq. & *Heinsium* in Aristarcho cap. VII. Paulus heic συμβασιλεύειν adhibet, quemadmodum & *Lucianus* dialogo Iunonis & Latonae tom. I. pag. 213. μέγα ὦ Ἥρα φρονεῖς, ὅτι ξύνει τῷ Διΐ, καὶ συμβασιλεύεις αὐτῷ. *Admodum superba es, Iuno, eo quod & cum Ioue coucumbis & regnas.* Tria haec, συνάρχων, σύνθρονος, συμβασιλεύειν (quo iterum Paulus vtitur 1. Corinth. IV. 8.) adducta quidem sunt ab *Henr. Stephano*, sine vllo tamen scriptoris siue sacri siue profani testimonio; συνδιοικεῖν autem penitus neglectum.

glectum. Vtinam vero prodiret tandem aliquando vir doctus, cui defectus thesauri Stephaniani supplere, leuesq; maculas venustissimo corpori adspersas abstergere, constitutum esset! Rem ille faceret, & gratissimam litteraturae Graecae alumnis, & necessariam cummaxime, & desideratam diu, magnumque ferret ac memorabile nomen. Hanc ingredi prouinciam serio decreuerat *Ioh. Cunr. Dietericus* noster, sed cuius consilium non tam mors, quam alii casus, parum iucundi, interceperunt. Neque ego is sum, qui aut locum eius implere possim, aut onus Aetna grauius humeris meis imponere velim; ab eo potius hoc exspectandum, cui Graecae facundiae copia simul ac venustas intus est & in cute nota, qui inexhaustum antiquitatis omnigenae penum possidet, cui lecta primae, mediae, vltimae aetatis monumenta omnia, vno verbo, cui nil cluſi est.

Nos vappae sumus, & pusilla culti
Ruris numina. - - -

Illud tamen diffiteri non debemus, quod in notatis ad *Basilii M.* orationem de legendis gentilium libris iam professi sumus: in veterum Graiorum lectione multa nos deprehen-

prehendisse vocabula, aut sine auctoritate, aut plane non a *Stephano* adducta, quorum suo tempore publicandorum spem fecimus. Interea dum in ordinem cogimus illa, numerumque augemus quotidie, specimen duntaxat omissarum, vel nullis auctoribus munitarum, suspicionemque ideo barbarismi legentibus facile mouentium, vocum, a praepositione σὺν incipientium, occasione quatuor supra recensitorum verborum, heic dabimus, secuturi filum indicis Stephaniani, obseruationibusque nostris finem simul imposituri; quibus vt bene vtaris optamus.

Συγγελάω. Vna rideo. Siracides XXX. 10. Μὴ συγγελάσῃς αὐτῷ, ἵνα μὴ συνοδυνηθῇς. *Ne rideas vna cum illo, ne dolendum tibi sit simul cum eo.* Loquitur de filii educatione.

Συγγενικῶς, Familiariter. *Polyaenus* lib. VI. cap. 2. num. 8. pag. 450. Διονύσιος δὲ Δίωνι φιλικῶς καὶ συγγενικῶς ἐπιστέλλων, καὶ μεγάλα ὑπισχνούμενος. *Dionysius autem peramanter & familiariter scripserat ad Dionem, & maxima quaeuis pollicebatur.*

Συγγραμμάτιον, Libellus. *Lucianus* in Herodoto non longe post initium, tomo I. operum pag. 572. ἐσκοπεῖτο πρὸς ἑαυτὸν, ὅπως ἂν ἧκιστα καὶ ἀπραγμονέστατα ἐπίσημος, καὶ περιβόητος γένοιτο, ἡ αὐτὸς καὶ τὰ συγγράμματια. *Ipse rationes secum iniit, quo pacto quam celerrime minimoque negotio inclaresceret & celebraretur ipse ipsiusque opuscula.*

Συγγραμματοφύλαξ. Librorum custos. Vtitur *Scholiasta Luciani* ad tom. I. pag. 26.

Συγκαθέζομαι, Consideo. *Lucianus* de Gymnasiis tomo II. p. 281. ὁπόταν γὰρ ἀνελθοῦσα (ἡ βουλὴ) εἰς τὸν πάγον συγκαθέζηται. *Quum ascendens (senatus) in Areopagum consederit.*

Συγκαθέλκω, Vna traho. *Herodianus* IV. 9. περιπλεκόμενοι συγκαθεῖλκον αὐτούς. *Iis impliciti, secum trahebant.*

Συγκαθεύδω. *Condormio, Vna dormio.*) Haec & litteris currentibus scripta, & vnco inclusa vides, lector, quod tibi indicio erit, legi ea in indice *H. Stephani*, verum sine auctorum testimoniis;

niis; idemque iudicabis de aliis, deinceps recurrentibus, eodemque signo notatis. Mirum vero, non occurrisse *Stephano* scriptorem, apud quem ea vox legeretur, quum & *Scholiasta Luciani* vterque ad tomum II. pag. 34. ac 36. nec non pag. 44. & *Plutarchus* conjugal. praecept. pag. 142. E. & *Lucianus* ipse frequenter illa fuerint vsi. Adferamus ex posteriore vnum alterumue locum. In Pseudomante tomo I. pag. 751. παιδίοις συγκαθεύδειν, *cum pueris cubare*. Ibidem δράκοντ@ τινὸς τοιούτ@ συγκαθεύδοντ@ αὐτῇ, *dracone huiusmodi quopiam cum illa concumbente*. Iterum pag. 771. ὃς ἐγκλεισάμεν@, ὥσπερ ἀργυρωνήτοις ἐχρῆτο συγκαθεύδων. *Quibus* (pueris) *inclusis, non aliter quam emptitiis abusus est, dormiendo cum illis*. Et in Asino, tomo II. pag. 116. ἐκείνῳ, καὶ οὐχὶ σοὶ συνεκάθευδον, *cum illo, non vero tecum, concubui*. Pagina sequente: Ταύτῃ συνεκάθευδον. In dialogis meretr. p. 555. ἀλέγεις, ὄιῳ ἄνδι συγκαθεύδεις αὐτῷ, *non dicis quali cum viro concumbas*.

Συγκάθημαι, *Simul sedeo.* Συγκαθήμενοι *Simul sedentes, Redditur & Considentes.*) Vtuntur LXX. Intt. Psal. C. 6. οἱ ὀφθαλμοί μου ἐπὶ τὰς πιστὰς τῆς γῆς, τοῦ συγκαθῆσθαι αὐτὰς μετ' ἐμοῦ, vbi Hiphilice sumitur. In *Luciani* Pseudologista T. II. pag. 443. συγκαθήμενος εἰς γόνυ dicitur *inclinatus in genu.* In *Basilii M.* orat. morali XII. pag. 334. χαμαὶ συγκαθῆσθαι, *humi procumbere.*

Συγκαθίζω, *Simul sedeo, aut simul sedere facio.*) Geneseos XV. 11. Κατέβη δὲ ὄρνια ἐπὶ τὰ σώματα, ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν. Ἐ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἄβραμ. Exodi XVIII. 13. συνεκάθησε Μωυσῆς κρίνειν τὸν λαόν. Sic Numer. XXII. 27. Ierem. XVI. 8. 1. Esdr. IX. 6. &c.

Συγκαίω, *Simul uro, seu Comburo.*) Occurrit passim apud τὸν ὁ. etiamque in *Aeliano* legitur libro VII. var. hist. cap. 18, narrante, apud Indos vna cum viro eius vxorem comburi. Φιλοτιμοῦνται δὲ περὶ τούτου αἱ γυναῖκες τῷ ἀνδρὶ, καὶ ἡ κληρωθεῖσα συγκαίεται. *Ambitiose de hoc contendunt mulieres viri defuncti: & cui id sorte obtigit, ea simul comburitur.*

Συγκαμ-

Συγκαθυφαίνω, Contexo. Vestimenta memorantur in Iesaiae III. 22. σὺν χρυσῷ καὶ ὑακίνθῳ συγκαθυφασμένα.

Συγκαταγηράσκω, *Vna senesco. At Consenesco accipitur etiam pro simplici Senesco.*) Nondum equidem συγκαταγηράσκω alicubi offendimus, sed quod idem, συγκαταγηράω in Tobiae VIII. 7. ἐπίταξον ἐλεῆσαί με, καὶ αὐτῇ συγκαταγηρᾶσαι.

Συγκαταδύομαι, *Vna demergor*) *Lucianus* in Toxari, tomo II. pag. 45. παραδὺς ἑαυτὸν τοῖς πορφυρεῦσι, συγκατεδύετο, *tradens se ipsum purpurariis, vna cum illis sese demersit.* Dicitur & συγκαταδύνω de stellis vna occidentibus a *Claudio Ptolemaeo* libro de stellarum non errantium adparitionibus, initio, nec non pag. 425. apud celeberrimum *Fabricium* biblioth. Graecae lib. IV. parte prima.

Συγκατακαίω, *Vna uro, seu comburo*) *Lucian.* Philopseude T. II. pag. 345. τόν τε κόσμον ἅπαντα συγκατακαύσας, καὶ τὴν ἐσθῆτα, ἣ ζῶσα ἔχαιρεν. *Mundum muliebrem omnem vna cum illa comburens, itemque vestem, qua, dum viueret, delectabatur.*

Συγκατακληρονομέω, Simul hereditatem occupo. Numer. XXXII. 30. συγκατακληρονομηθήσονται ἐν ὑμῖν ἐν τῇ γῇ Χαναάν.

Συγκαταμίγνυμι. Commisceor. Iosuae XXIII. 12. ἐὰν &c. ἐπιγαμίας ποιήσητε πρὸς αὐτὰς, καὶ συγκαταμιγῆτε αὐτοῖς καὶ αὐτοὶ ὑμῖν.

Συγκαταπιμπλάνω· Vna impleo. *Antiphon* orat. II. circa finem, pag. 33. ἐπίγε τὰς τραπέζας ἰόντα, συγκαταπιμπλάναι τὰς ἀναιδίας. Describitur helluo, lurco, gulo, gurges.

Συγκαταπολεμέω, Simul debello. *Herodes* oratione de Republica, pag. 222. τὰς γὰρ ἀσθενεστέρας συγκαταπολεμήσας, ἐκ ἄρξειν τῶν πλειόνων ἔμελλεν. *Infirmiores enim simul adgrediendo, potiores sibi subiecturus non esset.*

Συγκατασβέννυμι, Vna exstinguo. *Zosimus* I. 66. pag. 107. συγκατασβέσαντες τῇ τυραννίδι τὸν ἄνθρωπον. *Et rebellionem & eius auctorem simul extinguentes.*

Συγκαθασπάω, *Pariter auello, Pariter conuello.*) Pariter mecum traho. *Lucianus* in Nigrino tomo I. p. 26. ἵνα μὴ συγκατασπάσω που πεσὼν τὸν ἥρωα, *ne forte*

te labens heroem simul conuellam. Et in dialogo Cnemonis ac Damippi, p. 275. Τὸ ἄγκιστρον τῷ δελέατι συγκατασπάσας, *hamum cum esca pariter auellens.* Et in Reuiuiscentibus, pag. 408. ἐπὶ τὴν ὁμοίαν διαβολὴν συγκατεσπᾶσθε, *simili calumnia pariter conuellebamini.* Et libello de morte Peregrini tomo II. p. 578. ὧν εἰ δύο συγκατασπάσας ἐμπέσοι εἰς τὴν πυρὰν, *ex quibus si duos secum in rogum irruens traheret.*

Συγκατατήκομαι, Contabesco. *Marcus Antoninus Philosophus* V. 1. ἄλλοι τε τὰς τέχνας ἑαυτῶν φιλοῦντες, συγκατατήκονται τοῖς κατ' αὐτὰς ἔργοις, ἄλουτοι καὶ ἄσιτοι. *Artes suas qui diligunt artifices, earundem operibus etiam intabescunt, illuuie inediaque affecti,* vertente *Gatakero,* qui & in notis hanc esse eius verbi vim scribit: *studio alicui ita esse addictum, non tantum vt ab eo auelli quis nequeat, sed vt in eo etiam enixius & obstinatius persequendo, consumat & quasi tabefaciat sese.*

Συγκαταφάγω, Pariter deuoro. Iesaiae IX. 18. καὶ καυθήσεται ἐν τοῖς δάσεσι τοῦ δρυμοῦ, καὶ συγκαταφάγεται τὰ κύκλῳ τῶν βενῶν πάντα.

Succendetur in denſiſſimis ſiluis, & deuorabit, quae circum colles ſunt, omnia.

Συγκαταφλέγω, Simul comburo. *Herodianus* VII. 12. πλῆθός τε ἀνθρώπων συγκατεφλέχθη, φυγεῖν μὴ δυνηθέντων, διὰ τὸ λὰς ἐξόδους ὑπὸ τῦ πυρὸς προκατειλῆφθαι. *Multi etiam hominum incendio abſumti fuerunt, quum fugere non potuiſſent, eo quod exitus iam occupaſſet ignis.*

Συγκαταφονεύω, Simul interficio. *Polyaenus* VIII. 71. ὥςε αὐτὰς ἐξαρτωμένας ἀποσπᾶν εἰ πολέμιοι μὴ δυνάμενοι, συγκατεφόνευσαν τοῖς ἀνδράσιν. *Vt quum eas in complexibus haerentes auellere non potuerint hoſtes, vna cum viris occiderint.*

Συγκαταχράομαι, ῶμαι, Simul vtor. *Clemens Alexandrinus* Stromatum lib. IV. p. 520. A. ἢ γὰρ ἅναρ τῇ φαντασίᾳ συγκαταχρῆται ἤδη καὶ τῷ σώματι. *Aut enim in ſomnis ſimul viſione vtitur, aut etiam corpore.*

Συγκατεύω, Conſuo. *Lucianus* de conſcribenda hiſtoria, tomo I. pag. 618. Θώρηξ πάνυ γελοῖος ἐκ ῥακῶν ποθὲν, ἢ ἐκ δερμάτων

μάτων σαπρῶν συγκεκαττυμένον. *Thorax plane ridiculus, ex pannis alicunde vetustis, aut putridis pellibus consutus.* Vsum quoque aliquoties *Clementem* illum nostrum *Alexandrinum* hoc verbo recordamur, neque hoc tantum, sed & nomine

Συγκάτλυσις, Stromatum lib. VII. p. 720. C. βρωμάτων συγκαττύσεις *ciborum*, vt ita dicã, *compositiones* sumtuosas, seu *condimenta*, vt interpres reddidit, commemorans, eisq; iungens θυμιαμάτων πολυτέλειαν, τὰς ἐξ οἴνων διαφόρων ὑπολαύσεις, καὶ τὰς πολυανθεῖς καὶ εὐώδεις πλοκάς, *suffitus pretiosos, varias vini delicias, floribus conspersos & bene olentes capillos*, vnguento quippe delibutos &c.

Συγκεκροτημένως, *Magno cum applausu, & q. d. Plausibiliter. Ita v. l.*) Haec *Stephanus*, fide veteris lexici, quod sine dubio respexit *Luciani* locum de mercede conductis, tomo I. pag. 474. μελετήσαντα μὰ τὸν Δί' ἐκ ἀπαιδεύτως, ἀλλὰ πάνυ λαμπρῶς, καὶ συγκεκροτημένως, *declamantem*

mantem neutiquam inerudite, per Iouem, sed vehementer, magnoque cum applausu.

Συγκερατίζομαι, Cornu pugno, Daniel. XI. 40. ἐν καιρῷ πέρατι συγκερατισθήσεται μετὰ τοῦ βασιλέως τοῦ νότου. *In temporibus termino cornu certabit cum rege austri.*

Συγκληρονομέω, Vna hereditatem adeo. Sirac. XXII. 23. ἐν καιρῷ θλίψεως διάμενε αὐτῷ, ἵνα ἐν τῇ κληρονομίᾳ αὐτοῦ συγκληρονομήσῃς. *Tempore calamitatis adhaere illi, vt hereditatem simul adire possis.*

Συγκλυδάζομαι, Fluctibus agitor. *Iamblichus* de vita Pythag. cap. XV. pag. 70. narrat de illo Philosopho, quod purgauerit discipulorum suorum συγκεκλυδασμένον τὸ νοητικὸν, *cogitationes fluctibus quasi turbatas*, atque ἡσύχους καὶ εὐονείρους ὕπνους αὐτοῖς ἀπεργάζεσθαι, *quietos placidissimosque somnos illis immiserit.*

Συγκοινωνὸς, οῦ, ὁ & ἡ, *Particeps, Consors. Idem cum* Κοινωνὸς.) Legitur saepius in

in N. T. libris, Rom. XI. 17. 1. Corinth. IX. 23. Phil. I. 7. Apoc. I. 9.

Συγκοινωνέω, Particeps sum. Ephes. V. 11. Phil. IV. 14. Apocal. XVIII. 4.

Συγκτίζω, Vna creo. Sirac. I. 14. Ἀρχὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν θεὸν, καὶ μετὰ πιστῶν ἐν μήτρᾳ συνεκτίσθη αὐτοῖς.

Συγκωμάζω, Vna comissor. *Lucianus* de saltatione, tomo I. p. 790. Τὸ ᾆσμα, ὃ μεταξὺ ὀρχούμενοι ᾄδουσιν, Ἀφροδίτης ἐπίκλησίς ἐστι, καὶ ἐρώτων, ὡς συγκωμάζοιεν αὐτοῖς, καὶ συνορχοῖντο. *Carmen, quod inter saltandum canebant, cognomen a Venere & Cupidinibus habet, tanquam vna cum illis & comissentur & saltent.* Et in Gallo, tomo II. pag. 161. ὡς ἀλεκτρυών τις νεανίσκος, φίλος γένοιτο τῷ Ἄρει, ξυμπίνοι τῷ θεῷ, καὶ συγκωμάζοι, καὶ κοινωνοίη τῶν ἐρωτικῶν. *Gallum quendam iuuenem Marti amicum fuisse, cum eo bibisse, comissationi indulsisse, & in amoris societatem venisse.*

Συγκωμῳδέω, Vna mordacibus dictis incesso. *Lucianus* Reuiuiscentibus, T. I. p. 405.

ἔτι

ἔτι τὸ Μένιππον ἀναπείσας ἑταῖρον ἡμῶν ἄνδρα ξυγκωμῳδεῖν αὐτῷ τὰ πολλά. *Ac praeterea Menippo amico nostro, vt multa secum cauillaretur, persuasit.*

Συγχειροποιέω, Operi munum simul admoueo. *Lucianus* Lexiphane tom. I. p. 821. τὸ αὐτὸς ὀλίγα συγχειροπονήσας, ἐκείνης μὲν διαφῆκα.

Σύγχρησις. Coniunctus rerum multarum vsus. *Clemens Alexandr.* Strom. lib. I. p. 318. C. κατὰ σύγχρησιν δὲ τούτων γίνεται τὸ εὐδαιμόνως ζῆν.

Συζωννύω, Accingo. 1. Maccab. III. 3. ἐνεδύσατο θώρακα ὡς γίγας, τὸ συνεζώσατο τὰ σκεύη αὐτῷ τὰ πολεμικά.

Σύλληξις, Communis sortitio. *Iamblichus* de Mysteriis sect. V. cap. 20. Ἀπ' ἄλλης τοίνυν ἀρχῆς ὁρμώμενοι τῶ τε κόσμῳ, καὶ τῶν ἐγκοσμίων θεῶν, τῆς τε ἐν αὐτῷ τῶν τεττάρων στοιχείων διανομῆς, καὶ τῆς κατὰ τὰ μέτρα τῶν στοιχείων συλλήξεως. *Ab alio igitur principio exordientes, nempe a mundo & Diis mundanis, a distributione quatuor in mundo elementorum*

torum, a communi sortitione secundum mensuras elementorum facta.

Συλληπτέον, Concipiendum est. Idem lib. cit. sect. III. cap. 27. pag. 96. ἕνα λόγον, καὶ μίαν τάξιν, καὶ καθ' ἓν τὸ θεῖον εἶδος, καὶ κατὰ μίαν τὴν νοητὴν καὶ ἀμετάπτωτον ἀλήθειαν συλληπτέον αὐτό. *Diuina haec species concipienda est per vnam rationem, per vnum ordinem, vnamque intelligibilem atque immutabilem veritatem.*

Συλλοιδορέω, Conuicior. Ierem. XXIX. 27. Καὶ νῦν διατί συνελοιδορήσατε Ἱερεμίαν τὸν ἐξ Ἀναθώθ.

Συμβαδίζω, Vna vado, deambulo. *Aelianus* var. hist. III. 19. pag. 226. ἐνόσει δὲ ἤδη τότε Σπεύσιππος, καὶ διὰ ταῦτα ἀδύνατος ἦν συμβαδίζειν τῷ Πλάτωνι. *Aegrotabat tunc Speusippus, ideoque Platonem comitari non poterat.*

Συμβεβαιόω, Confirmo. *Clemens Alex.* Strom. lib. III. p. 479. D. Τῷ κηρύγματος τὴν ἀλήθειαν συμβεβαιοῖ ἔργῳ. *Praedicationis veritatem facto confirmat.*

Συμβόσκω,

Συμβόσκω. Vna pasco. Iesˑ XI. 6. συμβοσκηθήσεται λύκῳ μετὰ ἀρνός. Quod mox effertur per ἅμα βοσκηθήσονται, nec non capite LXV. 25.

Συμβραβεύω, Vna cum aliis arbitrum ago. Libro 3. Esdrae IX. 14. Μοσόλλαμος, ὁ Λευὶς, ὁ Σαββαταῖος συνεβράβευσαν αὐτοῖς. Interpres polyglottis Bibliis Anglicanis adiunctus reddidit : *Simul cooperati sunt cum illis.* Quod vix tolerandum. Est enim sermo de iudicio ab Esdra instituto ad examinandos quotquot alienigenas duxerant vxores. Vnde commate 13. memorantur κριταὶ, quibus mandatum fuerit ἐτάσαι τὸ πρᾶγμα, comm. 16. Ergo συμβραβεύειν idem est quod alias Graeci dicunt plenius, βραβεύειν τὴν δίκην, *caussae iudicem esse.*

Συμβράζομαι, Cum feruore ac impetu eiicior. 2. Maccab. V. 8. πόλιν ἐκ πόλεως φεύγων, διωκόμενος ὑπὸ πάντων - - - εἰς Αἴγυπτον συνεβράσθη. *Per vrbes fugiens, omniumque persecutiones experiens, in Aegyptum iectus est.*

est. Mihi vero illud συνεβράσθη spurium videtur, legendumque vel cum MSS. quibusdam codicibus ἐξεβράσθη, vel, quod mallem, συνεξεβράσθη, seruata compositione.

Συμμαίνω, Vna insanio. *Lucianus* de saltatione, tom. I. pag. 816. ἀλλὰ τόγε θέατρον ἅπαν συνεμεμήνει τῷ Ἴακχῳ.

Συμμάρπτω, Corripio, comprimo, vna prehendo. *Nicetas Choniates* fragmento de statuis aeneis, igni traditis post captam a Latinis CPolin, inserto a celeberrimo *Fabricio* biblioth. Graecae libro VI. pag. 416. ᾤδειο δὲ τὸ μὲν βασιλίσκον εἶναι, τὸ δὲ ἀσπίδα τὸ συμμαρπτόμενον ἅτε τῷ στόματι. *Credebatur alterum esse basiliscus, alterum, quod in ore eius compressum haerebat, aspis.*

Συμμεθίσταμαι, Vna transfero. *Basilius M.* orat. morali XI. pag. 276. memorat κοῦφα φορτία, *leuia onera*, quae συμμεθίστασθαι δύναται τοῖς συλλέξασι, *facile transferri possunt vna cum iis, qui eadem congesserunt.*

Συμ-

Συμμειρακιώδης Pariter iuuenilis. *Caius Lucilius* Satyrarum libro quinto:

- - - *Hoc, NOLVERIS & DEBVERIS, te*
Si minus delectat, quod ἄτεχνον Isocratium est, ὀχληρῶδες que simul totum ac συμμειρακιῶδες.
Non operam perdo. - -

Ita quidem recte legitur apud *A. Gellium* XVIII. 8. in gemina editione Belgica, Amstelodamensi scilicet an. 1666. & Lugdunensi recentissima an. 1706. pessime vero in corpore Poetarum veterum Latinorum, Aureliae Allobrogum an. 1611. edito, hoc modo:

Ὀχληρῶδες *quae simul totum* ϗ συμμειρακιώδης.

Quae nullum plane generant sensum.

Συμμελαίνομαι, Pariter nigresco. *Phlegon Trallianus* Mirabilium capite XXXIV. ὁπλαὶ δὲ ἦσαν κάτω ἵππου στερεαὶ, καὶ ἐπίξανθοι χαῖται, καίπερ ὑπὸ τῆς ταριχείας συμμελαινόμεναι τῷ δέρματι. *Vngulae ei* (Hippocentauro) *equinae solidae, & subfulua iuba, quamuis ob condimenta nigre-*

nigredinem ea contraxerit una cum reliqua cute. Sic enim postrema sunt vertenda, non autem cum *Xylandro* hoc modo: *quanquam condimenta eam fere cutis in morem nigram fecissent.*

Συμμελανειμονέω, Pullas vestas induo. *Basil. M.* orat. mor. XII. p. 334. συγκαθειργνῦναι ἑαυτὸν, συμμελανειμονεῖν, καὶ χαμαὶ συγκαθῆσθαι, καὶ κεφαλῆς ἀμελεῖν. *Includere se ipsum, nigrum induere vestimentum, humi sedere, tonsuram negligere.* Quae omnia luctus sunt indicia.

Συμμεσουράνιος, Simul in medio coeli comparens. De stellis adhibuit *Ptolemaeus* de apparitionibus stellarum non errantium, initio.

Συμμεταβαίνω, Simul transeo. *Lucianus* in extremo Nigrini: συμμεταβαίνει γάρ τι τῶν πάθων ἅμα τῷ δήγματι. *Simul cum morsu migrat aliquid affectionis istius.*

Συμμεταχηματίζομαι, Una mutor & in aliam formam vertor. Exstat in ἐπιμυθίῳ

fabulae *Aesopi* de verspertilione & mustela: Δεῖ καὶ ἡμᾶς μὴ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ ἐπιμένειν, λογιζομένους, ὡς οἱ τοῖς καιροῖς συμμεταχηματιζόμενοι πολλάκις τὰς κινδύνους ἐκφεύγουσιν. *Oportet nos etiam non iisdem semper inhaerere, sed cogitare, quod qui omnium temporum homines sunt, effugere plerumque soleant rerum discrimina.*

Συμμετέχω, *Una cum aliis particeps sum, seu participo.*) Vtitur *Lucian.* in Philopatride tom. 2. p. 784. ὥς' αὐτὸν ἀναλαβέσθαι συμμεταχεῖν αὐτῷ τινα τῶν ἄλλων θεῶν τῆς θήκης τῶν πτιδικῶν. Est & in 2. Maccab. V. 20. Διόπερ ἐ αὐτὸς ὁ τόπος συμμεταχὼν τῶν τῦ ἔθνους δυσπετημάτων γενομένων, ὕστερον εὐεργετημάτων ὑπὸ τῦ κυρίε ἐκοινώνησε. *Propterea & ipse locus malorum quae genti acciderant particeps factus, postea etiam beneficiorum a Deo exhibitorum particeps fuit.*

Συμπλοκή, Connexio, idem ac σύνθεσις. *M. Antoninus* IV. 40. σύνκρισιν ἐ συμπλοκήν, hoc est, *connexum & contextum* iunxit.

Συμπε-

Συμμεσότης, idem quod μεσότης. *Iamblichus* de Mysteriis sect. V. cap. 18. pag. 133. οἱ δὲ μέσοι τούτων κατὰ τὰς διαφορὰς τῆς μεταξὺ ξυμμεσότητος, ἓ τὰς ὁδὸς τῆς ἁγιστείας διαφόρως διαπονοῦσιν. *Qui mediam vitam degunt, pro differentiis istius mediae sortis, ipsi quoque differentes cultus vias inibunt*, ex versione *Galei*, existimantis in adnotationibus pag. 274. legendum esse μεσότητος. Qua quidem emendatione haud opus erit, si considerauerimus, quamplurima vocabula, quibus praepositio nostra praemissa est, alium tamen a simplici significatum haud habere. Itaque non semper eliminandae voces compositae, in thesauro Stephaniano non exstantes; quod fraudi multis viris doctis fuisse persaepe animaduertimus. Exemplum aliud videbis infra, vocabulo συνεμφέρομαι.

Συμμιαίνω, Vna polluo. Baruchi III. 10. ἐπαλαιώθης ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ, συνεμιάνθης τοῖς νεκροῖς. *Vetustatem contraxisti in terra peregrina, coinquinatus es cum mortuis.*

Συμμονή, Permansio. Vtitur *M. Antoninus philosophus* V. 8.

Συμπαγής, Compactus. *Clemens Alexandr.* Paedag. III. 5. init. οἶκοι τεχνητοὶ συμπαγεῖς, *domus artificiose factae.* Eius contrarium est ἀσυμπαγής, quod quia Nostrum tomo 3. col. 270. adpinxisse quidem, verum sine auctore, videam, lubet aliquot locis praesidium illi dare. *Lucianus* in Abdicato tom. I. p. 727. corpora dixit esse viris εὐπαγῆ, καὶ ἔντονα, *bene compacta & nervosa*, mulieribus contra ἔκλυτα & ἀσυμπαγῆ, *flaccida & minus bene compacta.* Idem de Gymnasiis, tomo II. p. 286. iterum nominat corpora ἐκέτι ἁπαλὰ, καὶ τέλεον ἀσυμπαγῆ ὄντα, *non amplius mollia, aut plane non compacta.*

Συμπανηγυρίζω. De hoc verbo in Πανηγυρίζω sequentia habet Noster: συμπανηγυρίζω, *Vna panegyrin agito, Vna festum ludosue panegyricos celebro. Exponitur etiam Concelebro, vt* πανηγυρίζω *est Celebro.* Vides iterum absque satellitio nomen; quod contra imperitorum

torum molimina defendet *Herodianus*, cuius haec sunt ex libro II. cap. 7. verba: ἐνῆν δέ τις αὐτοῖς καὶ πόθος τοῦ Νίγερος, ἡπίως τε ἄρχοντος ἅπασι, τά τε πλεῖστά τε αὐτοῖς συμπαιγνιζοντος. *Inerat iis amor aduersus Nigrum, eo quod & placide ipsis imperauerat, & ludos una celebrauerat.* Haec item ex libro IV. cap. 9. συμπανηγυρίσας τοίνυν αὐτοῖς καὶ συνεορτάσας, &c.

Συμπαραβάλλω, Confero, committo, comparo cum alio. *Iustinus Martyr* responsione LXIV. ad orthodoxos: Οὐ θανάτῳ τὸν θάνατον συμπαρέβαλεν, ἀλλὰ τὴν τελήμερον ἐν τῷ τάφῳ παραμονὴν τοῦ σωτῆρος τῇ τεσσαρεσκαιδεκαήμερῳ ἐν τῷ κήτει παραμονῇ τοῦ Ἰωνᾶ. *Non inorti mortem, sed saluatoris in sepulcro mansionem per triduum, Ionae in ceto mansioni per triduum comparauit.*

Συμπαραβύω, Commisceo, simul intrudo. *Lucianus* in Reuiuiscentibus, tomo I. p. 396. μετὰ τούτων ἓν ξυμπαραβυσθεὶς, καὶ αὐτὸς ἐσῆλθον ἄν. *His igitur immixtus, ingressus sum.* Et de mercede conductis, pag. 472. τῷ μαγείρῳ σε, ἢ τῷ τῆς

δεσποίνης κομμωλῆ, συμπαρεμβύσωσιν, *ad coquum te vel herae comtorem detrudant.*

Συμπαρακύπτω, Inclino me. *Lucianus* Icaromenippo tom. II. p. 205. συμπαρακύψας γαρ καὶ αὐτὸς ἐπήκουον ἅμα τῶν ἐυχῶν. *Quum caput inclinassem, & ipse preces illorum audiebam.*

Συμπαραμένω, Vna permaneo. Dauid hymno LXXI. 5. συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ. Paulus epist. ad Philipp. I. 25. μενῶ καὶ συμπαραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν.

Συμπαρανήχομαι, *Simul nato, seu Vna ad latus nato*) *Lucianus* Toxari, tomo II. p. 46. ῥίψαι ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ καταλαβόντα τὸν Δάμωνα ἤδη ἀπαγορεύοντα, συμπαρανήχεσθαι καὶ συγκωφίζειν, *proiecisse se in mare, arreptoque Damone, qui iam deficiebat, illi adnasse ac subleuasse.*

Συμπαρατείνω, *Simul extendo, seu protraho, aut prorogo*) *Zosimus* III. 16. init. προελθόντες δὲ εἰς τὰ πρόσω, εἰς τινα τὴν Εὐφράτην διώρυχα διῆλθον, ἐκτεινομένην μὲν εἰς μῆκος ἄχρι τῆς Ἀσσυρίων, συμπαρατεινομένην

νην δὲ πάσῃ τῇ μέχρι τοῦ Τίγρητος χώρᾳ. *Progressi vlterius ad quendam ex Euphrate deriuatum alueum peruenerunt, qui pertingit in longitudinem ad Assyriam vsque, simulque se per totam ad Tigridim vsque regionem extendit.* Eodem libro cap. XXV. p. 314. ἐπεὶ δὲ τὴν ἀντιπέρας ὄχθην θεωροῦντες ὑψηλοτέραν, καὶ ἅμα θριγγόν τινω συμπαρατεινόμενον, κτλ. *Sed quum illi ripam aduersam cernentes altiorem, ac praeterea sepem quandam ad eam porrectam*, &c. Libro IV. 10. pag. 365. τὸ στρατόπεδον τῇ ὄχθῃ τοῦ Ἴστρου συμπαρατείνας, *exercitum propter Istri ripam porrigens.* Vtitur denuo lib. IV. 38. pag. 439.

Συμπαρεδρεύω, *pro* παρεδρεύω) *Michael Psellus* de operat. daemon. pag. 126. ἄλλοις συμπαρεδρεύουσιν. *Alii aliis assident.* Vtitur etiam *Lucianus* in Votis, tom. II. p. 506.

Συμπαρεισέρχομαι, Clam vna introeo. *Lucianus* Timone, tom. I. p. 112. s. ἀναπετάσας τὴν θύραν εἰσδέχεταί με, συμπαρεισέρχεται μετ' ἐμοῦ λαθὼν ὁ τύφος. *Patefactis*

foribus excepit me, clanculum vna mecum ingreditur fastus.

Συμπαρθένος, Virgo aequalis, eiusdem aetatis. *Aelianus* var. hist. XII. 1. pag. 657. ἡ Ἀσπασία καλλίστη τῶν συμπαρθένων ἦν αὖθις.

Συμπαρίστημι, Adsisto. Dauid hymno XCIII. 16. τίς συμπαραστήσεταί μοι ἐπὶ τοὺς ἐργαζομένους τὴν ἀνομίαν;

Συμπαροξύνω, Simul concito. *Lucianus* libello Quod non temere credendum calumniae, tom. II. pag. 428. ἀλλ' ὅμως κἀκεῖνος συνέζη ἐπὶ τὸν Θεμιστοκλέα, καὶ συμπαρώξυνε τὸν δῆμον. *Attamen ille in Themistoclem conspirauit, pariterque populum instigauit.*

Συμπεπεδημένος a συμπεδέομαι, ῶμαι, vt συμπεπεδημένος τὼ πόδε, *apud Lucianum, Pedibus reuinctus.*) Locus est in Fugitiuorum extremo, tomo 2. operum, pag. 606.

Συμπεραιόω, proprie Vna traiicio, translate Ad terminum eundem peruenio, Simul absoluo, Finio, Perficio. *Clemens Alex.* Strom. lib. II. pag. 379. D.

ἡ ἐν

ἡ ἐν τούτοις ἐπιμονή τε καὶ ἄσκησις, ἅμα μαθήσει συμπεραιοῦται εἰς ἀγάπην. ἡ δὲ, τῇ γνώσει τελειοῦται. *Quae in his conspicitur perseuerantia & exercitatio, una cum disciplina terminatur in charitate; illa vero cognitione perficitur.* Hinc

Συμπεραίωσις τοῦ βίου, Finis vel terminus vitae, apud eundem libro IV. pag. 526. B.

Συμπεριγράφω, Simul adscribo. *Idem* Strom. lib. VIII. pag 781. C. συμπεριγράφεσθαι ταῖς φαντασίαις dixit, hoc est, *adscribi visis.*

Συμπερίειμι, Vna circumeo. *Lucianus* in Conuiuio, tom. 2. pag. 641.

Συμπεριθέω, Vna circumcursito. *Lucianus* de mercede conductis, T. I. pag. 465. συμπεριθεῖς ἄνω καὶ κάτω. In Toxari, T. 2. p. 71. ἄνω καὶ κάτω διαθέειν vsurpauit; in Votis pag. 501. ἄνω & κάτω περιπατεῖν, in Saturnalibus p. 610. ἀναθεῖν ἄνω & κάτω, sicuti *Terentius* Eunuch. Act. II. sc. 2. *Sursum deorsum cursitare.*

Συμπερίπτημι, Vna circumuolito. *Zosimus* I. 57. p. 93. ταῖς ἀκρίσι συμπεριπτάμενοι.

Συμπεριλαμβάνω, Complector. Actor. XX. 10. ἐπέπεσεν αὐτῷ, & συμπεριλαβὼν εἶπε. Ezechiel. V. 3. συμπεριλήψῃ αὐτὰς τῇ ἀναβολῇ σε, *comprehendes* vel *colliges eos indumento tuo.* Sic & *Lucianus* Phalar. primo t. 1. p. 735. τῷ ὁμοίῳ μίσει συμπεριλαμβάνοντες. *Eodem odio complectentes.* Redditur etiam Coadiuuare in eodem Luciano De domo t. 2. p. 453. τὰς Μούσας ἐκάλει, & ἐπίστευεν ἥξειν αὐτὰς ἐπὶ τὴν ἐρημίαν, συμπεριληψομένας τῶν περὶ τοῦ ἔρωτος λόγων. *Musas accersebat, quas ad se in desertum venturas locum credebat, & coadiuturas coeptos de Amore sermones.*

